

Dissertatio medico-chirurgica de vesicae urinariae hernia ... / [Jean Pierre Divoux].

Contributors

Divoux, Jean Pierre.
Salzmann, Johann, 1679-1738.
Université de Strasbourg

Publication/Creation

Argentorati : Typis Johannis Henrici Heitzii, [1732]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/mugpdvbg>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

Q. D. B. V.

DISSERTATIO MEDICO.
CHIRURGICA

DE

VESICÆ VRINARIÆ
HERNIA,

QUAM

DIVINA ASSISTENTE GRATIA,
SUB PRÆSIDIO

DN. JOHANNIS SALZMANN,

MED. D. PATHOLOG. P. P. ORD. CAPIT.

THOMAN. CANON. SUI ORDINIS h. t. DECANI
SPECTABILIS,

ACAD. CÆSAR. NAT. CUR. ET SOC. BEROL. REG. SODALIS,

NI PATRONI ATQUE PRÆCEPTORIS SUI SUMMOPERE COLENDI,

IN ALMA ARGENTORATENSIVM
UNIVERSITATE

Ad. d. XII. August. M DCC XXXII.

HORIS LOCOQUE SOLITIS

SOLENNI PHILIATRORVM EXAMINI

SUBMITTIT

JOHANNES PETRUS DIVOUX, Colmaria-Alfatus,
AUCTOR ET RESPONDENS.

ARGENTORATI,

TYPIS, JOHANNIS HENRICI HEITZII.

VIRO
PER-ILLUSTRI
ATQUE EXCELLENTISSIMO
DOMINO,
DN.FRANCISCO MAT
THIÆ MÜLLER,

SUPREMI, QUOD COLMARIÆ EST,
DICASTERII ASSESSORI GRAVISSIMO,

ILLVSTRISSIMI
DNI INTENDENTIS REGII
in superioribus Alsatiæ partibus
DELEGATO,

REGIÆ CIVITATIS COLMARIENSIS

PRÆTORI REGIO

UNDIQUAQUE SPLENDIDISSIMO,
MÆCENATI ET PATRONO SUO GRATIOSO.

UT ET

VIRIS

GENERIS NOBILITATE, MUNERUM SPLEN-
DOR, RERUM GERENDARUM DEXTERITATE, MERITORUM
IN PATRIAM AMPLITUDE CONSPICUIS,

CIVITATIS COLMARIENSIS

PROTO - CONSVLI,

CONSVLIBVS,

PRAETORI,

SYNDICO,

PATRIAE PATRIBVS,

MÆCENATIBUS, DOMINIS ATQUE PATRONIS
SVIS MAXIMIS, SUBMISSO OBSEQUIO ET PERPETVO PIETA-
TIS CULTU DEVENERANDIS,

HAS STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS IN DEBITÆ OBSERVANTIÆ TESTIMONIUM,
ULTERIOREMQUE SUI COMMENDATIONEM EA, QUA PAR EST,
ANIMI SUBMISSIONE

D. D. D.

TANTORVM NOMINVM

devotissimus Cultor & Cliens

JOH. PETRUS DIVOUX

Auctor.



NOBILISSIMO

DNO RESPONDENTI,

Convictori & Amico suo Aestumatissimo

S. P. D.

PRÆSES.



Quod si, Plinio Histor. Natur. Præf. judicante, ardua res est, vetustis novitatem dare, novis auctoritatem, obsoletis nitorem, obscuris lucem, fastiditis gratiam, dubiis fidem &c. publico utique elogio dignum, quod in lucem emittere Tibi placuit, argumentum est, Amicissime Divoux, utpote in quo plurima non ubivis obvia, sed à multorum cognitione hætenus

re-

remota exponis, atque simul, quos in scientia medica fecisti, progressus luculento satis documento comprobas. Ad quod ut animum præparares, ea jam patriis in laribus jecisti fundamenta, quæ ad Artis Salutaris studia feliciter excolenda non exiguum momentum afferunt. In quibus tractandis ab illo tempore, quo ante biennium fere Scholas nostras primum salutasti, adeo laudabiliter versatus es, ut pro felici Tuo atque apto ingenio ea, quæ ex ore Præceptorum hausisti, Tuos in usus transferre optime noveris. Et quemadmodum Tuas in palæstra disputatoria vires repetitis vicibus expertus fueras, ita non minus in themate, quod elegisti, defendendo strenuum Te athletam acturum, omniumque applausum promeriturum esse auguror. Quas virtutes cum eximia morum suavitate conjunctas non possum non collaudare, & ut affectus in Te mei testimonium extet, Studiorum Patronis de meliore commendare, sperans pariter ac optans, ut ampliores scientiæ medicæ thesauros indies lucreris, & quod superest, stadium alacri animo & fausto pede emetiaris. Sic fiet, ut Patronorum expectationem & præprimis Spectatissimi DNI PARENTIS spem de Te conceptam adimpleas, Dulcissimæ Patriæ, ægrisque quamplurimis utilis evadas, Tu vero laborum fructus largo cum fœnore aliquando reportes. Ita vive, remque Tuam, uti hætenus, ita in posterum bene ac feliciter gere.

PROOEMIUM.



Quod si ultimum artis nostræ salutaris finem in solida affectuum præternaturalium cognitione, atque, quantum in ejus potestate situm, curatione consistere in confesso est, non male facere eos arbitror, qui, dum quaecunque studiorum specimen edere allaborant, argumentum quoddam è Pathologicis depromptum B. L. exhibent. Quod ego animo meo volvens de Themate morbi cujusdam seligendo cogitavi quidem, sed in selectu instituendo dubius hæsi atque anceps, eo, quod de plerisque, in vulgus etiam notis, tot dissertationes omnium fere manibus terantur, ut crambe non bis, sed decies recocta atque apposita non tam salivam quam potius nauseam moveat. Proinde ne hanc ulterius excitem, mecum tandem constitui de rariore quodam affectu pro ingenii mei viribus commentari, idque eo lubentius, quo magis in aprico est, novos subinde morbos & in Medicorum Scholis, & in ægrorum lectis prognasce, qui Venerandæ Antiquitati vel omnino, vel magna ex parte incogniti fuerant. Longum nimis foret eorum catalogum hic nectere, neque illud necessarium esse duco, quia hoc labore defunctus jam est JOH. CONRAD. BARCHUSEN (a) qui aliquos simul recenset, quos nostro ævo pro novis venditare vix licet. Et quamvis aliquibus

(a) Hist. Med. Dialog. VI.

quibus persuasum sit, non tam novos oriri, quam potius antiquorum novas & nondum observatas species in scenam prodire, indubium tamen est, esse qui Vetustatem penitus latuerunt. Horum familiæ meo qualicunque judicio adscribenda etiam est è Chirurgicis *Vesicæ Urinariæ Hernia*, cujus affectus nulla in Veterum Scriptorum monumentis mentio, quantum quidem scio, injicitur, quin & altum postera & recentiore ætate de eo silentium est. Quam ob rem non male operam me collocaturum existimavi, speciminis Academici loco, pauca de eodem in medium proferre. Quod dum facio, nemo sibi persuadeat velim, me præpostero novaturiendi pruritu agitari, sed eo animo id agam, ut in ejus cognitionem feliciter perveniat, & si in praxi occurrerit, solidior diagnosi formari, atque, quantum datur, promptior ægro medela afferri possit. Neque Tibi B. L. promitte schediasma omnibus numeris absolutum, cum ingenii mei imbecillitas, minusque matura ætas huic præstando longe impar existat. Quare enixe abs Te efflagito, ut meos qualescunque conatus non male interpreteris, sed eosdem æqui bonique consulas, erroresque, quorum plures, uti nullus dubito, irrepsere, pro Tua humanitate corrigas. Deum Ter. Opt. Max. devotis imploro precibus, quo omnia feliciter cedere jubeat.



THES. I.



Um nemini non constet, rectum nor-
mam esse obliqui; antequam ad Her-
niæ Vesicæ urinariæ, de qua impræsen-
tiarum agere nobis animus est, Patholo-
giam devolvamur, non male nos actu-
ros esse speramus, Anatomicam parti-
um affectarum prælibare descriptio-
nem. Etenim suo jam tempore *Medicorum Princeps* HIPPO-
CRATES (a) dixit: *Natura corporis principium sermonis in Arte Me-
dica sit.* Neminem etiam ignorare arbitratur JOH. CONRAD.
BARCHUSEN (b) neque Medicinæ neque Sapientiæ studiosos posse de cor-
poris humani statu tam sano, quam morbo differere ex amissim, nisi
extrinsecam juxta & intrinsecam corporis structuram habuerint quoque
perspectam. Cum quo apprime consentit CAROL. DRELIN-
CURTIUS (c) de Anatomia, vero totius Medicinæ oculo & fidis-
simo clavo ita loquens: *Qui Anatomes luce atque beneficio non
fruitur, morbis tamen gravioribus curandis sese accingit, tanquam
naucerus oculis & mente captus, citra clavum & navigatoriam acum,
æstuosum atque procellosum in æquor vela pandit naufragium tandem
misere factururus.* Egregie sane dicta; quis enim statum præter-
naturalem facile dignoscet? quis symptomata morbum, ut
umbra corpus, sequentia feliciter enucleabit? justam veram-
que

(a) Libr. de loc. in Hom. §. IV. (b) Hist. Med. Dialog. III. (c) Præ-
lud. Anat.

que prognosin indigitabit? tandemque salutarem medelam ægrotantibus cito, tuto & jucunde afferet? statu naturali non probe cognito atque perspecto.

THES. II.

Organum principalius affectum atque hocce in morbo potissimum considerandum Vesica Urinaria est. Verum enimvero cum naturalis partium inum ventrem aliquibus in locis investientium conformatio, non in notitiam solum affectuum istis accidentium nos deducat, sed etiam quomodo & per quas vias dictæ partes prolabi queant, & re ipsa prolabantur, doceat; operæ pretium fore arbitramur, de iisdem sermonem etiam facere. Ad hanc classem pertinere musculos abdominales, nemo, qui Anatomix modo & Chirurgix limina salutavit, inficias ibit. Quorum quinque paria in Anatomicorum Scholis plerumque demonstrantur: Oblique descendens, (d) quod omni laude major HERM. BOERHAAVE (e) obliquum exterius, alii obliquum majus appellant; oblique ascendens (f) vel juxta modo laudatum BOERHAAVE (g) obliquum inferius, secundum alios obliquum minus, transversum (h) rectum (i) & pyramidale (k); octo musculi priores à fibrarum vel oblique, vel recta, vel transversim excurrentium, seque invicem interfecantium tractu nomina sua acceperunt; duo posteriores appellati sunt à figura, qua haud inepte pyramidem referunt, qui vero musculi mox plane deficientes, mox alteruter in uno tantum latere sese conspiciendum præbens (l) æque ac recti, cum ad institutum nostrum nihil

- (d) Vesal. Libr. II. Tab. I. Eustach. Tab. 28. Heist. Comp. Anat. §. 205.
 (e) Institut. Med. §. 86. (f) Spigel. Lib. IV. Tab. 10. Eustach. Tab. 32. Heist. l. c. (g) l. c. (h) Vesal. Libr. II. Tab. 5. Eustach. Tab. 33. (i) Spigel. Lib. IV. Tab. 8. Eustach. Tab. 28. Heist. Comp. Anat. §. 205. multi Anatomicorum rectum in plures musculos subdividunt, unde 7. 8. l. 9. musculorum paria enascuntur. (k) Fallop. Instit. Anat. pag. 431. Bidloo Tab. 32. fig. I.

nihil faciant, iisdem non immorabimur. Reliquorum vero musculorum, abdomen ab injuriis externis munientium atque firmanrium, potiozem habendam esse rationem omnes uno ore confitentur. Ne autem, quæ supervacanea videntur, in medium proferamus, horum musculorum origini atque insertioni recensendæ superfedemus, potius perlustraturi, quomodo herniis hæ partes faveant.

THES. III.

Conferunt autem modo enumerati muscoli suum ad hernias symbolum ea parte, qua perforati sunt, id est, quatenus partibus egressuris transitum quandoque concedunt. Tribus vero id fieri locis autopsia anatomica comprobatur, quæ musculorum perforationes hiatus vel annuli nuncupantur. Quorum primus, re ipsa annulus dicendus, est in medio abdominis in linea ab ADR. SPIGELIO alba dicta, inter utrumque musculum rectum, efformaturque à tendinibus musculorum oblique descendendum & ascendendum, nec non transversalium unitis, accedente nonnunquam tractu tendineo musculi recti transversio, quorum plures sunt & inscriptiones vocantur. Transitum præbet hic hiatus vasis, nempe venæ uni & duabus arteriis in funiculum compactis, foetui in utero hospitanti nutriendo dicatis atque in Scholis Medicorum umbilicalibus nominatis. Postquam vero foetus ex uteri ergastulo in liberiozem auram erupit, inque theatrum mundi editus est, occluditur & obturatur, usu dictorum vasorum cessante, foetuque per alias jam vias nutritio, nihilo tamen secius, præprimis in juniore ætate, accedente causa vel externa vel interna violenta annulus hicce dilatatur atque partibus exitum molientibus eundem concedit, simulque herniæ umbilicali favet. Alterum hiatum musculis abdominis insculptum & figura ovalem quod concernit: notum est, eum in inferiore inguinis regione magis situm obtinuisse, ubi herniæ

A 2

parvæ

(1) Heist. l. c. ut & Icones horum musculorum nitidissime delineatas vid. in Cowperi Myotomia.

parvæ quidem, sed lethales (*m*) oriuntur, transitumque vasis, extremitatum inferiorum nutritioni inservientibus præbere, quæ in Medicorum Scholis cruralia audiunt. Unde efformetur hic annulus nondum extra controversiæ aleam positum est. DN. POUPARTIUS (*n*) hunc hiatum à ligamento robusto, è spina anteriore ossis Ilei ad supremam ossis Pubis partem expanso, formari statuit; verum aliqui primi ordinis Anatomici non modo huic sententiæ non subscribunt, sed hujus ligamenti existentiam disertis verbis negant, quos inter eminent *Perspicacissimus* JOH. BAPT. MORGAGNUS (*o*) & *Dexterimus* COWPERUS (*p*) asserentes, illud potius esse imam oram seu limbum tendinis musculi oblique descendentis, quod asfertur exosculatus quoque est *Celeberrimus* HEISTERUS (*q*). Alii vero pro peculiari ligamento illud haberi posse autumant, eo quod autopsia teste, I) multo crassius & firmitus est quam dicti musculi aponevrosi. II) fibræ illius magis albicant; quam litem nostram non facimus, hoc unice addentes, quod in foeminis validius illud existat, & ab hoc sive ligamentum sit, si ve ima tendinis musculi obliqui externi ora, annulus ovalis sive hiatus cruralis generetur. Vocatur à Gallis *Parcade*, quo tamen jure cum figura fornicata comparari queat, nos hic non dispiciemus. Quidquid sit, admiranda Summi omnium rerum Conditoris Sapiencia mechanica hac structura cautum est, ne partes in abdomine liberius fluctuantes, levi causa, eaque violenta prolaberentur & herniæ generarentur; totam quippe viscerum imi ventris molem quasi suspendit & sustentat hoc ligamentum, unde & suspensorium (*r*) vocatur, atque robore suo ligamenti munus re ipsa præstat, cujus suo jam tempore, utut non sub ligamenti nomine meminit ANDR. VESALIUS (*s*), illudque GABR. FALLOPIUS clau-

(*m*) Verheyen. Anat. Tract. II. cap. 7. & Tab. 10. ubi locus bacillo immisso notatur. (*n*) Hist. Acad. Reg. Scient. ann. 1705. p. 64. (*o*) Advers. Anatomic. III. animadvers. I. (*p*) Myotomia nova pag. 2. & Tab. 14. & 15. (*q*) Compend. Anat. Nota IV. (*r*) Hist. Acad. Reg. Scient. ann. 1705. pag. 64. (*s*) Fabric. Corp. Hum. Libr. II. p. 31.

clarius descripsit. (t) Annulus hic à quacumque causa violenta dilatatus partibus inde egressuris viam pandit, & herniæ crurali ansam præbet atque occasionem, nempe herniis istis parvis lethalibus, de quibus supra jam dictum.

THES. IV.

Supereſt tertius adhuc conſiderandus annulus, quem proceſſus peritonæi in viris, vaſa humani generis propagationi dicata involventes, in mulieribus ligamenta uteri rotunda ſeu teretia, vaſcuſoſa Recentioribus credita trajiciunt. In his capacitate minor & ſitu inferior eſt, quam in viris, in utroque ſexu inferius anguſtior, ſuperius amplior obſervatur. In ſtatu præternaturali omento, nec non inteſtini inde egreſſuris tranſitum haud denegat, frequentius in viris, quam in ſceminis ob rationem modo allegatam. Formatur hoc foramen I) à muſculo oblique deſcendente ſeu externo, quod non tam annularis quam ſemiovalis figuræ, duos circiter digitos tranſverſos longum & dimidium fere latum eſt, à duabus ejus aponevroſis appendicibus ſeu ligamentis, columnæ, Gallis Piliers dictis, conſtruitur, cujus margines firmiores & fimbriam velut conſtituentes fibræ tendineis à faſcia lata venientibus debentur, ab iisque non parum roboris acquirunt. Dictæ columnæ, quæ in ſupernam & infernam non male diſtinguuntur, ex uno latere in alterum progreſſæ crucis in modum ſe invicem decuſſant, oſſique pubis firmiter annectuntur (u) ; in adulto illud folii myrtini magnitudinem (x) adæquare poteſt. II) ab oblique aſcendente ſeu interno, cujus fibræ carneæ prope connexionem cum externo à ſe invicem ſecedentes iisdem partibus commeatum largiuntur. Quandoque inter iſtas & manipulum fibrarum ad muſculum

A 3

cre-

(t) Inſtit. Anat. de muſc. abdom. (u) Vid. Solertiſſ. Corp. Hum. Indagatorem Jac. Benign. Winsloun in Opere Anatomico nuperiſſime edito, in quo accuratius quam plerique hæcenus Anatomici verſatus eſt, quodque Expoſition Anatomique de la Structure du Corps Humain inſcripſit, tr. de muſc. §. 50. & ſeqq. (x) Zodiac, Med. Gall. ann. I. de art. herniar. cur. Part. I. S. I. cap. 2.

cremasterem pertinentium vasorum funiculus decurrit. Nic. BLEGNY (y) cum multis aliis tertium addit in musculo transverso, quem magni nominis Anatomici non admittunt. Præ aliis *Illustr.* JOH. BAPT. MORGAGNUS (z) qui tranversi præsertim tendinem non foramine, neque, ut oblique externi tendo solet, dimidiato foramine pertusum, sed integro suo inferiore limbo iisdem processibus transversim superpositum se invenisse perhibet. Proinde vasa spermatica eundem non penetrant, sed sub ejus limbo versus os ileum pergentia ad latus externum emergunt. Cognitio situs annulorum in reductione partium loco motarum magni utique est momenti, dum enim reductionem partis alicujus prolapsæ suscipimus, maximo nobis cavendum est opere, ne eandem è directo tentemus, si enim hoc modo quis procedere vellet, partem elapsam inter duos musculos magis, quam in abdominis cavum impelleret. Differunt autem modo descripti hiatus I) ratione situs, quo sibi e regione non correspondent in statu naturali (nam in præternaturali, nempe in herniis magis paralleli observantur) ille enim ab obliquo interno formatus elatior, & à linea alba remotior est, quam qui ab obliquo externo formatur. Unde factum, ut oblique versus anteriora vasa spermatica decurrant. Cujus rei rationem reddit Clariss. VERHEYENIUS (a) quia si talis foraminum situs non esset, ubi pervenissent ad os pubis dicta vasa, deberent subito, & quasi ad angulum acutum inflecti & tendere recta versus anteriora, qua inflexione multum impediretur liber sanguinis transitus in arteriis spermaticis admodum necessarius. Cum vero dicta vasa ab origine paulatim tendant ad latus, indeque rursus inter duplicaturam Peritonæi sensim vergant antè ad scrotum, nullum in toto tractu angulum notabilem, nullamque sanguini transeunti difficultatem creant. Id quod de vasis spermaticis dictum modo est, de ligamentis rotundis seu teretibus, quæ in sequiore sexu occurrunt, etiam valet, utpote quæ nil nisi congeries

(y) loc. cit. (z) Advers. anat. II. animadv. X. (a) Anat. corp. hum. Tract. II, Cap. 7.

geries vasculorum esse à recentioribus censentur, adeoque ligamenta vasculosa audiunt. An vero commercium præbeant sanguini partium internarum cum externis nostrum non est hic dijudicare. II) ratione substantiæ, annulus, qui ab obliquo externo formatur omnium validissimus est, & valde tendineus, quam ob causam hic partium per hæc loca delapsui ac repositioni præcipuum obicem ponere solet, nec non dictas partes forti et constringendo strangulationem infert; cum e contrario alter obliqui interni minus firmus atque carneus observetur. III.) ratione magnitudinis, amplior quippe est annulus internus quam externus, qui, ut hoc è supra dictis repetamus, in subjecto muliebri angustior, ut & situ inferior deprehenditur.

THES. V.

Ad Peritonæum jam accedimus, cujus conformatio naturalis eo accuratius investiganda est, quo magis ab hujus dilatatione plerumque, rarius à ruptione hernias oriri inter Medicorum Filios constat. Est autem Peritonæum integumentum abdominis sacciforme è duplici substantia conflatum, nempe è membranacea proprie dicta, & textura cellulosa; ista magis minusve tenuis, valida tamen, & fibris tendineis firmata, intus lubrica, dilatabilis & elastica, interiorem abdominis cavitatem cingens, atque visceribus ejus in situ continendis, eorumque plurimis in sacco velut detinendis interferviens. Substantia cellulosa est congeries innumerarum vesicularum exilium, quæ plus minusve pinguedinis in sinu suo alunt & ab aëre inflato facile omnes turgent, lamellamque internam attollunt. Descriptionem ejus exactam primus fere nobis tradidit supra laudatus WINSLOUS. (b) Membrana hæc, quia in duas divisa est portiones, plerisque Anatomicorum ansam dedit pro ejus duplicatura, tanquam pro aris & focis pugnandi; verum annotante *Accuratissimo hoc Corporis Humani Scrutatore* duæ lamellæ exterior nempe & interior admitti nequeunt, sed tantum interior, exterior non lamellam priori
finit

(b) Exposit. Anat. Tract. de abdomin. §. 22. & seqq.

similem, verum nonnisi texturam cellulofam constituyente. Istam nulla alia, uti multi volunt, ambit, sed remota eadem, muscoli aliæque partes nudæ oculis sese sistunt. Hic de Peritonæi duplicatura error epidemicus in Veterum scholis natus atque enutritus, ad nostra usque tempora, veluti per traducem, propagatus fuit. Alii vero hanc duplicaturam de eo saltem loco, ubi vasa umbilicalia decurrunt, maxime infra umbilicum, intellectam volunt, quo sensu illam admittere videtur JOH. DOM. SANTORINI, in *Veneto Lyceo Anat. Professor*, (c) *dum peritonæum*, inquit, *nullo negotio in duas lamellas discernitur, quas inter umbilicalia alias vascula ad hepar subibant. Verum geminarum fibrarum ordinem perspicue annotare potuimus, quæ in exteriori quidem lamella etsi minus firmæ, conspicuæ tamen secundum longitudinem protendebantur, in interiori autem & firmiores & candidiores externas decussantes transversim ferebantur.* Equidem non negamus, duplex hoc in loco peritonæum deprehendi, quæ duplicatura non duplici lamellæ, sed uni tantum, nempe internæ debetur, quæ replicata eandem format, atque dicta vasa sustentat. Altera superior est ab umbilico ad hepar tendens, altera inferior ab eodem ad regionem pubis exporrecta, illa latiore existente, hac gemina binas arterias umbilicales fulciente, utraque harum similis est processui falciformi cerebri lobis interjecto, unde & falcis nomen ei impositum fuit. Hi processus in oculos facile incurrunt, si peritonæum in utroque latere disseccetur, ita ut illi salvi maneant atque illæsi, & umbilicus paululum eleve-
tur. Renes, ureteres & vasa spermatica in peritonæi duplicatura decurrere formula loquendi Anatomicis hætenus familiaris fuit, sed nec hæc admitti potest, quia altera ejus lamella, nempe exterior, imaginaria est, hasque partes texturæ cellulosæ immerfas esse, rectius dicitur, præprimis renes, circa quos copiosior est, adeoque tunica adiposa ab omni ævo dicta fuit. Figura peritonæi ad ovalem accedit inferius magis, quam superius, ubi diaphragmati supertenditur, & infimi ventris

con-

(c) Obs. Anat. Cap. IX. §. 5.

configurationi internæ accommodata est. Ejusdem crassities non una eademque observatur, in viris namque à cartilagine ensiformi seu xiphoide ad umbilicum usque crassius esse creditur, ubi & à tendine muscoli transversi non parum roboris nanciscitur, hanc forsan ob rationem, quoniam hoc genus hominum cibi potusque ingurgitationi magis indulget, ventriculumque esculentis & potulentis nimium sæpe onerat; id quod heluonibus, qui die nocteque congræcantur, in more est; qui ventriculus cibis sic onustus & expansus non potest non peritonæum multum dilatare. Quod si illud valde hic loci tenue existeret, frequentis ruptionis periculum esset. In foeminis vero ab umbilico ad os pubis usque crassius statuitur, quo graviditatis tempore uterus foetui domicilium præbens, nec non in hydropicis, in quibus abdomen enormem quandoque in modum tumet, præter quod rumpatur, sese expandere & dilatare queat. Connexionem quod attinet, notum est, illud cohærere antè & utrinque à latere cum abdominis musculis, atque potissimum cum transversalibus adeo arcte, ut vix absque dilaceratione cultello inde separari possit. Posterius cum ossè sic dicto sacro & ligamentis, quæ dorfi inferiores & aliquot lumborum vertebrae copulant, juxta commune Anatomicorum assertum (d) & superius cum diaphragmate, inferius cum ossibus innominatis committitur. Unde patet, istud undiquaque abdominis lateribus circumtendi, uti & viscera in hoc ventre contenta vel omnino vel ex parte investire atque involvere constat.

THES. VI.

Externa peritonæi portio sub ligamento Poupartii ad supernam femoris partem prolongata vasa cruralia comitatur, qui processus non, uti in inguine, multum exporrecti sunt, sed aliquod viæ spatium emensi dictis vasis agglutinantur. Duos alios emittit processus extra abdomen, quorum decursus dignus est, qui observetur. Natales suos pariter à parte exteriori cellulosa habent; lamella quippe interna in

B

regio-

(d) Vid. Fallop. Instit. Anat. p. 408.

regione inguinali non perforatur, sed integra annulos obtegit, & paululum extrorsum protuberans intus exiguam cavitationem relinquit, ubi eum in finem crassior est, ut intestinorum molem suffulcire eo melius possit. Hæ productiones texturæ cellulosæ, ubi cum vasis spermaticis atque deferentibus in virili sexu annulos trajiciunt, sepimenta illa membranacea, quibus in homine partes hæ involutæ sunt, efformare videntur. Postea vaginam veluti constituunt, quæ prope testiculum dilatata duos loculos format, aut in duas laminas dividitur, quarum interna vaginæ fundus est, externa vero super testiculum expansa tunicam ejus vaginalem, Græcis Elytroidem dictam efformat. Eædem productiones flatu immisso optime deteguntur, & multum turgentes totæ quantæ cellulosæ atque vesiculosæ apparent. Sed & lamina peritonæi interna, quæ saccum proprie loquendo constituit, suas productiones, quæ internæ vocari merentur, obtinuit, suntque duplicis generis, aliæ sacculos minores visceribus superinductos exhibent, eorumque, quæ investiunt, figuram induunt, aliæ vero introrsum reflexæ & duplicatæ, cellulosa textura interjecta, in quam plurima ligamenta abeunt, intestina, hepar, lienem, vasa umbilicalia &c. firmantia. Quemadmodum autem Divina Providentia decursu modo dictarum partium; ita quoque earundem structura & conformatione generi humano benignissime prospexit, eo, quod non patuli sint modo dicti processus in homine (uti in canibus, in quibus teste GERH. BLASIO (e) stilo & flatu immisso via aperta detegitur) sed juxta ordinarias Naturæ leges obturati; rarioribus namque annumerandum, quod in sinistro latere viri apertum illum viderit STEPH. BLANCARDUS (f). Quod si enim in homine, qui erecto corpore incidit, ita hiarent, herniæ metui atque periculo quovis momento expositus ille esset, quia viscera abdominis, & inter ea, maxime ista, quæ liberius fluctuant, uti omnia gravia, deorsum ruunt, atque eo, ubi minor est resistentia feruntur; in brutis vero hoc metuendum non æque est, utpote

(e) Zootom. Cap. II. de canib. (f) Anat. reform. Cap. 33.

utpote quorum corpora horizontalem situm servant, adeoque centrum gravitatis non tam in inguine, quam potius in regione umbilicali habent, unde fit, ut intestina nullum vel exiguum in annulos inguinales impetum faciant. Hi duo processus vasa spermatica, ut & deferentia vocata in viris, in mulieribus ligamenta uteri rotunda involvunt. Hos in sexu sequiore ANDR. VESALIUS annotante GABR. FALLOPIO (g) negat, & Clar. NUCKIUS (h) eosdem diverticula nova vocat atque prolixè describit. Confer quoque MAURIT. HOFFMANNUM, (i) Unicum adhuc processum exhibet peritonæum in regione umbilicali, qui ortum habet à superna falci-formi peritonæi reduplicatione versus annulum umbilicalem angustiore reddita atque in unam membranam coalescente. Hic, discissis post partum vasis & paulo post occlusis, cum iisdem in ligamentum transit. Et hæc peritonæi productiones non male externæ appellantur ab internis probe distinguendæ. Vasa omnis fere generis, quibus peritonæum gaudet, silentio præterimus; de glandulis, quas Celeberr. HEISTERUS (k) in dubium vocat, Solertissimus CHESELDEN (l) vero se observasse perhibet, & tam operose stabilitum it GARENGEOT (m) hoc unicum addentes, humorem, quo viscera aperto abdomine nunquam non madere cernuntur, easdem non omnino confirmare, utpote qui à continua viscerum exhalatione rectius derivari nobis videtur. Uti & in vario ipsi attributo usu determinando prolixi non erimus, quoniam ad status præternaturalis, de quo impræsentiarum agimus, dilucidationem parum confert, ejus tantum mentionem facientes, quo viscera abdominis, & præ aliis intestina in situ continere & coërcere creditur, vel illa veluti in sacco quodam continendo, vel ligamentis atque prolongationibus, quas hinc inde format, fulciendo; unde dilatata, vel etiam, quod rarius fieri supra jam innuimus, rupta hac membrana, hernias è vestigio

B 2

ge-

(g) Observ. Anat. pag. 408. (h) Adenogr. Cap. X. Fig. 39. & 40. (i) E. N. C. Dec. III. An. II. Obs. 110. (k) Compend. Anat. Not. VI. (l) Anat. Edit. prim. pag. 96. (m) Splanchnolog. Cap. VI.

generari multis persuasum est. Quod uti nullo modo inficiamur, ita simul in memoriam revocamus, peritonæum soluna huic usui præstando impar esse, istumque magis à musculis abdominis eorumque annulis dependere, hac potissimum ratione inducti, quod his dilatatis, aut quacunque de causa ruptis vel dissectis, illæsum etiam peritonæum mox ab omento, vel intestinis foras propellatur atque protuberet. Textura cellulosa organum colatorium, vel saltem receptaculum est pinguedinis, quæ certos ob usus facile cedit, mollem visceribus situm conciliat, & impetus in illa æque ac totum abdomen factos notabiliter infringit.

THES. VII.

Tradita musculorum abdominis, & peritonæi, quatenus herniis favent, qualicunque descriptione, propius ad partem in hernia Cystica potissimum affectam, adeoque maxime considerandam, quæ Vesica Urinaria est, progredimur. Est autem illa viscus cavum, pluribus è membranis sibi invicem incumbentibus conflatum, urinæque recipiendæ, asservandæ & emittendæ dicatum. Situm illa obtinuit in cavitatis, quæ pelvis dicitur, parte antica & inferna, retro ossis pubis symphy sin delitescit, & maxime ubi vacua est, occultatur, à quo etiam veluti suspenditur. In recens natis, habita corporis proportionem, major cernitur quam in adultis, utpote in quibus ad umbilicum ferme extenditur. Magnitudo ejus accuratius determinari nequit; quia enim dilatationis maxime capax est, differt prouti urina magis minusve repleta, aut sæpius multumque distenta fuit, vel etiam calculum diu in sinu suo aluit. In priore casu ampliatur, in posteriore multum angustatur. Amplior antè & postè, quam circa latera est, repleta inferius capacior, quam superius existit, vacua vero superiore loco magis rotunda, quam in inferiore deprehenditur (n) uti & figura ejus variatur, quæ flatu distenta vesica in viris ovalis seu potius imperfecte conica, sed inversa est, apice superiora spectante, parte la-

(n) Winslous l. c. §. 448.

latiore, infernum & anticum aliquatenus locum occupante. Ab aliis referre dicitur lagenam inversam, seu vitrum collo oblongo vel angusto præditum, cujus fundus nobis erectis sursum & retrorsum, collum vero deorsum & paululum antrorsum spectat. In foeminis & gravidis, præprimis in illis, quæ sæpius pepererunt, figuræ magis cylindricæ, vel notante *Clariff. MAUCHART* (o) doliolo transversim posito similis, in quibus etiam superius in duos veluti angulos acuminatur.

THES. VIII.

Connexionem habet cum multis partibus vicinis, sed maxime consideranda est illa cum peritonæo, circa quam probe notandum, vesicam non locatam esse inter ejus duplicaturam, uti *STEPH. BLANCARDUS* (p) & cum eo haud pauci Anatomicorum perhibent, quin potius sequentem in modum avtopsia teste cohæret; lamina peritonæi interior vesicam obtegit superna, postica, imo & aliquatenus antica parte, ubi prolongationes ad os pubis & intestinum rectum in viris, in foeminis vero ad uterum emittit, quarum posterior ligamentum transversum & semilunare refert, atque intestini recti expansioni limites ponit. Reliquis vero in locis substantia cellulosa cingitur, qua cum ossis pubis postica sede committitur; laminam quippe peritonæi internam hoc in loco non arcte connecti, inde colligitur, quoniam vesica in osse pubis incidi potest, præter quod modo dicta lamella lædatur; Hac substantia inflata omnes cellulæ aëre replentur, observaturque à *DN. LE DRAN* (q) in quibusdam locis illam valde crassam existere, eam ob causam, ut vesica à liquore intus contento multum expandi queat. Cæterum cohæret quoque cum renibus ope ureterum, mediante urethra cum partibus genitalibus, in viris adglutinatur intestino recto, unde & illud facile explicatur, quod scilicet alvum deponentes urinam simul reddere soleamus. In foeminis utero ejus-

B 3

que

(o) *Disp. de hernia incarcerata* a. m. 1722. Tubingæ habita. (p) l. c. Cap. XXVI. (q) *Tract. qui Parallele des differentes manieres de tirer la pierre hors de la vessie* inscribitur.

que vaginæ maxime adhæret, in utroque sexu ope arteriarum umbilicalium & urachi cum umbilico jungitur, quæ partes unitæ ligamentum superius constituunt. Observantur duo alia ligamenta minora partem fundi anteriorem ossibus pubis alligantia. Præter hæc alia à supra laudato WINSLOO (r) lateraliter appellata, à productione peritonæi vesicæ & intestino recto interjecta, quæ transversalia & semilunaria supra appellavimus, enascuntur. Liceat hic paucis attingere controversiam istam inter Anatomicos vexatam & magno animorum motu agitatam, an scilicet dicta vasa umbilicalia pervia sint nec ne? De uracho quidem, qui productio tunicarum vesicæ esse videtur, avtopsia id confirmante conveniunt, illum in animalibus brutis pervium esse; verum haud pauci cavitatem in foetu humano eidem denegant, quos inter eminent CAR. DRELINCURTUS (s) ac FRANC. MAURICEAU (t) aliis eandem admittentibus. Utraque sententia suos nacta est Patronos & Propugnatores. Sæpe laudatus HEISTERUS (u) qui quidem eum in foetu humano nunquam apertum esse testatur, non diu post, avtopsia ulteriore edoctus, eidem cavitatem tribuit. (x) Litem hanc dirimere videtur experimentum à Clar. RIDLEY (z) institutum, quo patet, perforationem urachi, quæ nec stilo, nec flatu detegi antea poterat, papilla ejus orificio adstante abscissa, oculos statim incurrisse. Sic quoque arterias umbilicales, foetu in lucem edito, ad vesicæ fundum usque hiare ab Anatomico Regio Parisiensi Du VERNEJO statuitur, eique plurimos ramulos largiri, & à LE DRAN (a) sanguis ex arteriis hisce profiliens observatus. Qua in re alii magnæ existimationis & ingenuitatis viri ad avtopsiam provocant, quæ docet, in adultis etiam dictas arterias ad medium usque vesicæ hiare, huicque visceri ramulos aliquot impertiri. Quicquid sit sive aperti maneant hi canales,

(r) l. c. §. 457. (s) Medit. de Urach. (t) de Morb. Mulier. Libr. II. Cap. 4. (u) E. N. C. Cent I. & II. Obs. 198. (x) E. N. C. Cent. III. & IV. Obs. 194. (z) Act. Erud. Lips. ann. 1705. Mens. Mart. (a) Garengéot. Tr. des Operat. de Chir. Tom. I. cap. 8. edit. prior.

les, five occludantur, successu temporis ligamenta vesicæ præbent, eamque, magis posteriore in casu, umbilico aliisque partibus satis firmiter adnectunt.

THES. IX.

Quoniam vesicæ diameter sensim atque sensim dimi-
nuitur & in angustius spatium coarctatur, divisio in corpus,
fundum & collum seu cervicem enata est, ille, uti modo di-
ctum, situ superior, hæc vero inferior seu potius anterior est,
quam tamen supra *laudatus* WINSLOUS rectius fundum appel-
lari contendit. Circa collum visui sese exhibet fasciculus fi-
brarum carnearum transversalium mediocriter crassarum,
(*b*) sub rectis extremum colli vesicæ arcus in modum ambi-
ens (*c*) & sphincter appellatus. Fibræ hujus musculi cum illis
intestini recti (*d*) ac prostaticis, quibus adhæret vesica in viris,
in foeminis cum vaginæ fibris coeunt, cujus munus in eo
consistit, ut collum constringendo impediat, ne urina nobis
invitis & continuo exstillet, qui etiam expulso musculo
agente & urina excretionem moliente cedit & dilatatur. Qui
ulus inde etiam patet, quod eo relaxato involuntarie & pe-
rennante rivo lotium effluat. Collo vesicæ continua est ure-
thra plumam majorem aut tubulum minorem referens &
cum rostro alembici, qui vesica est, comparanda, tertia penis
columna in viris, quæ ortum suum nanciscitur sub arcu ossis
pubis obtuso à cartilagine enato, non vero acuto, qualis in
sceletis excoctis conspicitur. Ejusdem fere cum corporibus
penis nerveo-spongiosis substantiæ (*e*) in quorum sulco de-
currit, iisque arcte adhæret. Conflatur illa duabus è mem-
branis valde robustis, quibus infra bulbum & pollicem circi-
ter transversum ab initio urethræ interspersa est substantia
modo dicta spongioso-cavernosa, mole minor & fibris tenui-
oribus conflata, quæ, aëre inflato non parum intumescit unde
recte in substantiam membranaceam & spongiosam distingui
ab

(*b*) Boerhaave Inst. Med. §. 366. (*c*) Heist. Compend. Anat. §. 222.
(*d*) Santor. Observ. Cap. X. §. 21. (*e*) Graaf de Org. Genit. Vir.
pag. 102.

ab Anatomicis solet. Supra bulbum vero tota quanta membranacea est, septi ibi siti foramen transiens, & catheteri immisso obicem quam maxime ponens. Est autem bulbus urethræ textura spongiosa protuberans, quæ bulbosam fere radicem refert, in postica urethræ sede locata & in duas veluti partes divisa. (f) Membranacea adeo robusta est, ut aponevroseos nomine insigniri mereatur. (g) Exterior tunicæ penis propriæ & tendineæ propago, interior membranæ vesicæ, potissimum nervæ, productio existit. In viris notabiliter longior observatur quam in foeminis, in quibus quantum longitudine cedit, tantum capacitate superat. Quapropter calculus exitum moliens has non tantis doloribus & cruciatibus exponit, quos viri ab hoc primæ juventutis & ultimæ senectutis tormento sæpius experiuntur. Recta non pergit urethra, sed sub arcu notabiliter inflectitur & curvatur, (h) per aliquot anfractus descendit, iterumque assurgit, variisque sui decursus locis capacitate variatur. (i) In principio membranacea est, valdeque gracilis, eum in finem, ut in statu quoque præternaturali sine magno renisu dilatari atque expandi, (k) corporibusque heterogeneis transitum concedere valeat. Ad glandem appropinquans hic canalis ampliatur & pars spongiosa attenuatur, graciliorque reddita in glande tandem obliteratur, (l) membranacea solum ad obtegendam illam producta, unde calculo in vesica existente pruritus in dicta parte provenit.

THES. X.

Pluribus de urethra dicendis jam supersedentes ad vesicam redimus, ejus foramina lustraturi, quorum tria sunt, duo urinæ receptioni dicata, ureterumque insertioni locum præbentia, hi miro in vesicam artificio terminantur. Orti in renibus infundibuli instar ampliatis (m) sub lamella peritonæi interna

(f) Morgagn. Advers. Anat. IV. Animad. 21. Winslous l. c. §. 533. (g) Le Dran. loc. cit. pag. 24. (h) Alghif. Tract. de Lithot. Morgagn. Advers. Anat. III. Animadv. 41. (i) Boerhaave loc. cit. (k) Le Dran. Tract. cit. pag. 24. (l) Graaf Tract. cit. pag. 102. & 103. (m) Heist. Comp. Anat. §. 221.

interna in substantia ejus cellulosa capacitate inæquali, supra infraq; paululum incurvati super musculum Psoas dictum, retro vasorum spermaticorum funiculū pariter ac iliaca decurrunt, & deferentia crucis in modum decussant. Hi canales à calculis, quandoque mirum in modum ampliantur, (n) atque ad vesicæ sedem posticam delati, perforata membrana musculosa, inter hanc & nerveam obliquo decursu progrediuntur, atque sede postica & inferna in cavum vesicæ digiti transversī distantia versus urethræ orificium desinunt. Extremitas hujus insertionis satis tenuis & membrana duplici constans à tunica vesicæ & ureteris interna enasci *Cel. WINSLOO* (o) videtur, atque valvulam veluti efformare creditur, (p) quæ impedit, quo minus urina intus contenta regurgitare ad superiora possit, eodem fere modo, quo ductus cholidochus communis in intestinum duodenum hiat. Sunt qui hanc valvulam negant, persuasi insertionem ureterum obliquam sufficere, hacque posita & vesica expansa, eorum orificia satis occludi. Dicta ureterum insertio in facie interna vesicæ ad figuram rostri cirneæ (d'une eguiere) accedit. Tertium orificium urinæ exitum in urethram concedit, quod, notante *LE DRAN* (q) inflata vesica evanescit, aëre vero expulso visui iterum sese exhibet. Hoc orificium sphincter supra jam descriptus ambit atque claudit.

THES. XI.

Structuram hujus visceris quod attinet, supra jam innuimus, illud esse cavum pluribus lamellis membranaceis sibi invicem incumbentibus, fere ut ventriculus, conflatum, quot autem numero membranæ sint, inter aliquos Anatomicos non extra omnem controversiæ aleam positum est? *GABR. FALLOPIUS* (r) *Celeb.* *HERM. BOERHAAVE* (s) *PHIL. VERHEYENIUS* (t) *STEPH. BLANCARDUS* (u)

C

tribus

- (n) *Frid. Ruyfch. Observ.* 15. & 94. *Coschwiz. diff. de Valv. in Ureteribus.* (o) *Tract. cit.* §. 461. (p) *Heist. loc. cit.* §. 221. (q) *loc. cit.* pag. 14. (r) *Obs. Anat.* pag. 416. (s) *Inst. Med.* §. 366. (t) *Anat. Corp. Hum. Tr. II. c.* 20. (u) *Anat. Cap.* 26.

tribus vesicam constare tunicis perhibent; non autem immorabimur illi, quod modo citati Authores in nomine hisce tunicis tribuendo non conveniant. Texturam hujus visceris rimantibus quinque potius sese offerunt, quæ à WINSLOO (x) in proprias & communes recte distinguuntur. Harum prima à peritonæo ortum habere perhibetur, sed minus recte, quoniam in prima formatione omnes partes simul generantur, rectius ergo, peritonæo continua dicitur, cujus lamina interna vesicam superna, postica & utraque laterali sede investit, quamque ab omni ævo communem vocarunt, non vero, uti modo dictum, vesicam undiquaque cingit, (y) &, quod non prætermittendum esse censemus, parte postica inter hanc & intestinum rectum interiacens ligamentum semilunare replicatum efformat, quod nimis utriusque visceris dilatationi limites ponere videtur. Secunda communium textura cellulosa est, quæ vesicam undique fere ambit primæ & musculosæ interiecta, quas etiam cum se invicem committit, atque hunc usum obtinuisse videtur, ut vesicæ sese expandenti cedat, qualem etiam habet pinguedo in aqualiculo luxurians, ne partes vicinæ ab utero aut intestino recto dilatato nimium comprimantur. Tertia, propriarum prima dicenda, musculosa est multiplicis seriei fibris, (z) iisque crassioribus & sat manifestis constans, (a) quarum externæ pleræque longitudinales sunt, huic subjacentes oblique ad latera tendunt, internis magis obliquis & fere transversalibus existentibus, quæ omnes infinitis in locis se invicem decussant. Harum fibrarum actione vesica contrahitur lotiumque exprimitur, unde hæc tunica expulso urinae audit. Quarta vasculoso-nervea est, ex innumeris vasculis & fibrillis nerveis contexta, à qua vesica calorem & sensum exquisitissimum obtinuit. Ne autem urina diuturniore mora acrior reddita hanc tunicum moleste afficiat, membrana, villosa dicta, glandulosis

(x) Exposit. Anat. Tract. de Abdomine. §. 450. & seq. (y) Cheselden Tract. de Lithot. (z) Eustach. Tab. XII. Fig. 7. (a) Fallop. Obs. Anat. pag. 417.

lis acinis mucum nerveam obducentem, erosionemque ejus impredientem plorantibus prædita est. Atque hæc merito quinta est nuncupanda.

THES. XII.

Præterea vesica ab urina vacua interiore sui facie rugis & sulcis exasperata est plurimis, quæ in repleta aut aëre inflata magna ex parte evanescent. Vasis porro pluribus singulari reptatu decurrentibus eadem gaudet. Arterias ab iliacis nanciscitur, in internam minorem, & externam majorem distributis. Ab interiore pullulant hypogastricæ, quæ anfractuoso ductu omnibus partibus in pelvi collocatis ramos largiuntur, adeoque vesicæ etiam urinariæ & intestino recto prospiciunt, hæ hæmorrhoidales externæ salutaris solent, speciatim & propius arteriæ ischiadicæ, epigastricæ & umbilicalis propagines sunt. Quandoque ex hypogastricis in foetu humano arteriæ umbilicales prodeunt. (b) Dicta vasa collo inferuntur, inde ad fundum mira ramorum inosculatone excurrunt. Venæ in ramos venosos ejusdem nominis hiant, quæ quia individuae arteriarum comites sunt, eundem etiam in vesica decursum tenent, quare nihil de iis addimus. Nervi pullulant ab illis ossis sacri, maxime à quarto pari, à quo duæ propagines prodeunt, quarum una ad vesicam & intestinum rectum tendit, furculo uno vel altero ab intercostali & plexu mesaraico inferiore accedente. An vesica urinaria vasis quoque lymphaticis gaudeat, adhuc sub judice lis est. Nostra laude major HEISTERUS se eadem nunquam observasse vel observare potuisse fatetur. (c) Celebris autem per orbem literatum ZELLERUS Archiater Wirtemberg. & Prof. Tubing. eadem ad ramum iliacum tendentia vidit & descripsit (d) non sine ratione arbitratus, nullam corporis partem esse, quæ iisdem non instructa sit. Paucis usum vesicæ subjungemus, qui

C 2 est

(b) Conf. Graviss. Dn. Præf. Patroni & Præceptoris mei ad vitæ dies colendi, Hospitis mei Honoratissimi diss. De Circulo Sanguinis in Foetu Ann. 1714. hic habit. (c) Compend. Anat. §. 222. (d) Diss. de Administ. Vasor. Lymphat.

est, urinæ receptioni & asservationi, tandem etiam ejusdem, postquam onere vel acrimonia molesta reddita fuit, excretioni famulari. In statu præternaturali eam arenulas, calculos, pus, sanguinem, aciculas aliaque corpora heterogenea in sinu quandoque suo alere neminem latet, uti & urethræ usum, quo urinam & semen virile transmittit nemini non notum esse arbitramur.

THES. XIII.

Partibus, quarum cognitionem ad herniam nostram rite intelligendam necessariam esse duximus, delineatis, de Vesicæ affectibus p. n. pauca quaedam subnectemus. Illam multifariis premi morbis experientia, proh dolor! satis superque testatur, è quibus non omnes hic recensebimus, sed eos tantum, qui prae aliis notatu & memoratu digni nobis videntur. Quos inter eminent vesicae urinariae scabies (e) defectus (f) numerus auctus, (g) nempe vesica duplex, (h) qua Doctissimum quoq; Casaubonum gavisum esse refertur, quamq; prolixè exposuit JOH. JAC. MANGET (i) quo in casu altera major, minor altera plerumque deprehenditur, aut etiam mediante membrana duos in loculos divisa est. (k) Triplicem in Anglo quodam annotatam legimus in BUSSLIERII Epist. ad Soc. Reg. Anglic. Editorem scripta, (l) ruptura, (m) carunculae, tartari, (n) callus (o) cancer & abscessus (p) calculi (q) de quibus innumerae observationes hinc inde prostant; ut & aliae res praeter naturam in vesica generatae vel in illam delatae, (r) puru-

lenta

- (e) Hippocr. Sect. IV. Aph. 77. (f) E. N. C. Cent. I. & II. Obs. 82. & Cent. IX. & X. Obs. 47. (g) Sennert. Prax. Lib. III. P. VIII. Sect. I. c. 1. (h) Isaac. Cattier. Obs. 120. E. N. C. Dec. II. An. 8. Obs. 122. (i) Theatr. Anat. Tom. I. Lib. II. Cap. 12. (k) E. N. C. Vol. I. Obs. 90. (l) Act. Erud. Lips. Ann. 1702. Mens. Jun. (m) Dan. Sennert. Lib. III. Prax. P. IX. Sect. I. Cap. 3. (n) Car. Drelincurt. Epist. ad Dn. Vallot. (o) Joh. Rhodius, Cent. III. Obs. 25. (p) Nic. Tulpius Observ. Med. Lib. IV. Cap. 37. Gerh. Blas. Med. Univ. Part. VI. Sect. 46. Cap. 2. (q) Ruysch. Obs. 89. (r) Læl. à Fonte. Conf. Med. 75. Balth. Timæus Lib. I. Cap. Med. 343. E. N. C. Cent. V. & VI. Obs. 68. Blegny. Zod. Med. Gall. Ann. I. Mens. April. Conf. Thom. Barthol. Hist. Anat. 72. Cent. IV. Schenck. Lib. III. Sect. II. Obs. 302. Isbr. Diemerbroeck. Anat. Lib. I. Cap. 18.

ta incrassatio, (s) vulnus notabile, (t) inflammatio & apostema (u) ulcus ex congrumato sanguine ortum, (x) hæmorrhoides. (y) Ut plura vesicæ vitia taceamus, quæ præ aliis prosequutus est PETR. FORESTUS. (z) Præter omnes modo recensitos morbos primum & unicum in hac tractatione locum sibi vindicet Vesicæ Urinariæ Hernia, tum quia notatu dignissimus est, tum etiam rarior ad nostra usque tempora extiit, & quidem adeo insolitus hæctenus fuit, ut DN. MERV Primario, dum viveret, Nosocomii Parisiensis Hotel Dieu dicti Chirurgo, (a) & ob solidam in Anatomicis æque ac Chirurgicis scientiam & multiplicem añorum experientiam maximopere æstimando, nullus auctor cognitus sit, qui ullam ejus mentionem injecerit, à quo dissentit GARENGEOT (b) Petito & Arnaldo Magistris in arte excellentibus hujus affectus cognitionem, imo & inventionem tribuens.

THES. XIV.

Antequam autem de hoc portento, uti aliquibus hunc prolapsum vocare placuit, agamus, è re esse ducimus de herniis in genere quædam prælibare, eo magis, quo certius est, generalem illarum notionem ad hujus cognitionem non parum conferre. Est autem hernia proprie sic dicta tumor præternaturalis à partibus mollioribus è situ naturali prolapsis ortus, peritonæi ut plurimum dilatationem, rarius rupturam agnoscens. Varie accipitur tumoris vocabulum, de quo SCHELHAMMERUS consuli poterit. (c) *Κήλη* apud Veteres, referente JOH. GORRAEO (d) dicitur tumor omnis quacunque in parte fuerit, sive in scroto, sive in inguinibus, sive etiam in gutture; postea vero magis dici cepit de scroti tumoribus;

C 3

quod

(s) Ruysch. Obs. 89. (t) Idem Obs. 75. (u) Petr. Forest. Lib. XXV. Obs. Med. 27. & 28. (x) Idem Loc. cit. Obs. 29. (y) E. N. C. Dec. III. Ann. 9. & 10. Obs. 119. Cæl. Aurel. morb. chron. Lib. V. Cap. 4. Hist. morb. Vratislav. Ann. 1701. (z) Lib. XXV. (a) Hist. Acad. Reg. Scient. Paris. Ann. 1713. Edit. Amstelod. (b) Tract. Operat. Chirurg. Tom. I. Cap. V. (c) *Ὀγκολογ.* Sect. I. Cap. I. (d) Definit. Med.

quod illi tum frequentiores sint, tum multo magis diversorum generum. Cum quo consentit ANUT. FÖESIUS (e) κῆλαι, inquit, omnes scroti tumores dicuntur, quos ramices aut hernias Latini vocant. Sed missis hisce ad generale eorum discrimen progredimur. Tria sunt tumorum genera; quædam enim partes ordinaria naturæ lege prominent, quædam extraordinarie protuberant & tumores non naturales formant, aliæ vero præter naturam in tumorem elewantur. Ad ultimum hoc tumorum genus hernias seu partium prolapsus referendos esse extra dubium positum esse censemus, vocis herniæ evolutioni, uti non ulterius immorabimur, ita nec sicco prorsus pede eandem transibimus. Verbis usi GEORG. WOLFFG. WEDELII. Profess. quondam Jenens- per orbem Medicum Celeberrimi (f) qui, *uti hernia*, inquit, *si latinam significationem Sabinis debitam spectemus, dærum, monticulosum & asperum notat, proprie hoc loco in abdomine, improprie paulo in gutture, sin originem græcam, ubi ramum significat, qui videtur quasi protrusus a trunco, res eodem recidit; sic utrumque hic visitur tumor durus idemque aliunde velut ramus protensus.* Unde ramex suos quoque natales ducit. Germanico idiomate exprimitur, *ein Bruch*/ Gallico une descende ou Hargne. (g) Latini ramicem, descensum, rupturam, licet hoc magis improprie vocant. Sed Criticis hæc & alia relinquimus hoc unice addentes, à multis Scriptorum vocem herniæ alio, quam, decet, modo detorqueri, qui nempe tumores humores, pneumaticos aliosque hoc pariter nomine insigniunt. Insuper monendum, herniam proprie loquendo esse affectum, in quo partes loco motæ ab involucris corporis communibus aut aliis membranaeis obtectæ & involutæ sunt, prolapsum vero stricte vocari, si quando ita foras prorumpunt, ut nuda oculis appareant, v. gr. uterus, intestinum rectum,

THES.

(e) Oeconom. Hippocr. (f) Diff. de Hernia Ann. 1684. Jenæ habit.
(g) Nic. Blegny Zod. Med. Gall. Ann. I. Art. Hern. Curatr.
P. I. S. II. c. 2.

THES. XV.

Plures, si auctores evolvas, herniarum divisiones atque denominationes utique reperies, quas paucis indigere lubet, quo innotescat, ad quam speciem hernia cystica referenda sit. Distinguiamus autem hernias in eas, quibus appellatio, proprie loquendo non competit, & in proprie sic dictas, quas situs partium solidiorum è sede prolapsarum generat atque fovet. Posteriores herniarum nomine verarum insignitæ multifariam rursus differunt, adeoque variis denominationibus gaudent, quæ desumuntur I) à loco, per quem partes elapsæ sunt, unde hernia umbilicalis, exomphalus, omphalocèle, quæ in umbilico sese manifestat, nomen accepit; infantibus ob annulum nondum satis firmatum familiaris; sic & inguinalis vel bubonocèle nuncupatur, si quando in inguine sese conspiciendum præbet tumor; scrotalis seu oscheocèle, sicubi ille in scroto apparet; cruralis vero, qui in sede femoris superna occurrit; denique ventralis, qui in aliqua abdominis parte extra annulos supra memoratos intuentibus sese offert, atque post superficiale abdominis vulnus & in laboriose parturientibus frequens est. II) à partibus tumorem formantibus, hinc enteromphalus, enterocèle, si intestinum, epiplo-omphalus, epiploocèle, si omentum, entero-epiplo-mphalus, entero-epiploocèle, si utrumque foras protuberat, dicuntur. Huc quoque ab aliquibus referuntur prolapsus ventriculi, (b) diaphragmatis, (i) lienis, (k) uteri, (l) oculi, (m) carunculæ lacrymalis ex interno oculi angulo, glandulæ innominatæ, (n) duræ matris, ablata cranii portione, aut si quos alios experientia comprobat. Priores vero, herniæ analogicæ sic dictæ, diversas itidem nactæ sunt denominationes; sic si tumor in umbilico ab aquis oritur hydromphalus, si in scroto, hydrocèle,

tu-

(b) Nic. Blegny *Zod. Med. Gall. Ann. I. Mens. Febr. Act. Med. Berol. Dec. II. Vol. IV.* (i) E. N. C. *Dec. III. Ann. II. Obs. 124.* (k) Frid. Ruysch. *Obs. Anat. Chirurg. 62.* (l) Dan. Sennert. *Inst. Med. Lib. I. P. I. Cap. 9. & Prax. Lib. IV. P. I. Sect. II. Cap. 17.* (m) Stalp. van der Wiel. *Obs. Rar. IX. Cent. II. P. I.* (n) De Woolhouse Nob. Angl. in E. N. C. *Cent. V. & VI. App.*

tumor flatulentus in umbilico pnevmatomphalus, in scroto pnevmatocoele appellari consuevit. Pari modo, qui ab excrescentiis carnosus in umbilico productus fuit, sarcomphalus, in scroto, sarcocoele, & tumor varicosus in umbilico existens varicomphalus, in scroto varicocoele vocari solet. Insuper anevrismata, varices, nec non hernia lacrymalis à sacco dilatato orta, (o) herniis improprie sic dictis non male adscribuntur. III) Differunt duratione seu tempore, ex quo partes prolapsæ sunt; si longum illud fuerit, annuli multum dilatati, adeo, ut repositæ e vestigio rursus prolabantur, hernia inveterata, si vero breve viæque angustiores, recens appellatur. Prior haut raro conjuncta est cum strangulatione, inflammatione & incarceratione, in qua absque incisione reponi partes prolapsæ nequeunt; quandoque etiam scroto & testiculi tunicis firmiter connascuntur, interdum non cohererent, manuali opera & pressione juxta artem facta, illæ plerumque reponendæ. IV) Desumitur de nominatio à decursu vel tractu, quem partes prorumpentes fecerunt, quæ si ad scrotum in maribus & in foeminis ad pudendi labia prolapsæ sunt, hernia dicitur completa, in viris etiam oscheocoele; quod si autem dictæ partes non multum viæ emensæ & inguina non prætergressæ sunt, herniæ incompletæ & in utroque sexu bubonocoeles nomine insignitur. Alia V) fit cum disruptione peritonæi, quæ subito & veluti in instanti generatur, atque tumorem aliud velut abdomen referentem adque genua propendentem oculis sistit; alia tantum cum ejus dilatatione evenit, sensim sensimque exorta & tardiores progressus faciens. Illam rariorem esse supra innuimus, quæ de re infra pluribus agemus. Et hæc de herniarum differentiis in genere dicta sufficiant, reliquas speciales studio intactas relinquimus. Quæ vero de herniæ cysticæ discrimine memoranda nobis sunt, inferius suo loco attingemus.

THES. XVI.

Qualicunque generali herniarum idea tradita ordo jam
requi-

(o) Heist. Chirurg. P. I. Libr. IV. Cap. 54.

requirit, ut ad herniæ vesicalis seu cysticæ pathologiam propius accedamus. Antequam vero illud ipsum à nobis fiat, necessarium esse ducimus, vesicæ urinariæ prolapsum aliquot prius exemplis & observationibus comprobare, eo magis, quo certius constat, eundem ab Auctoris haud infimi subfelli in dubium vocari, quorum rationes, quæ eosdem moverunt, inferius, ubi de causis acturi sumus, adducemus atque examinabimus. Quod affectu hoc gravissimo genus humanum divexetur experientia pro dolor! testatur. Sæpe laudatus FRID. RUYSCHIUS, Anatomicorum facile Princeps annotatam nobis reliquit historiam, (q) qua perhibet, sibi herniæ speciem illam, quæ cystica dicenda, bis in praxi occurrisse. Id quod calculo suo confirmat CHRIST. HENR. ERNDTL (r) his verbis: *Inter demonstrationem partium urinæ secretioni inservientium & in specie vesicæ, rarissimam observationem de descensu vesicæ in scrotum (de Ruyschio locutus) proposuit, sancteque testatus est, bis in praxi sua ejusmodi portentum seipsum observasse. Pari ratione supra allegatus MERY maxime sibi gratulatus est de eo, quod modo memoratum prolapsum tertia vice intuendi fors sibi contigerit; quare etiam tres numero casus notatu dignos Actis Academiæ Regiæ Scientiarum, quæ Lutetiæ Parisiorum est, inseri curavit, (s) quos ut hic recenseamus, B. L. haud grave futurum esse confidimus. Sic autem supra laudatus Autor infit: Il est si ordinaire de voir les intestins passer par les anneaux des muscles du ventre, & descendre dans le scrotum, qu'il n'y a point de chirurgien pour peu expérimenté, qu'il soit, qui n'en ait connoissance. Mais il est si rare de voir des hernies de vessie, que je ne connois aucun Auteur, qui en ait fait mention. Je vais en rapporter trois, que j'ai observées. Voici la première. Il y a quatre ans ou environ, que je fus appelé dans une maison Religieuse pour voir le General de sa congregation, il avoit beaucoup de peine à uriner. Ce fut pour cette difficulté, qu'il souhaita d'avoir mon avis, esperant de recevoir par mon moyen quelque secours. Apres avoir entendu le rapport, qu'il me fit de son incommodité, je lui*

D

re-

(q) Obs. Anat. Chirurg. 98. & Advers. Anat. Dec. II. §. 91. (r) Itiner. Angl. & Batav. p. 95. (s) Ann. 1713. p. 146. & seqq.

représentai, qu'il étoit nécessaire, que j'examinasse ses parties naturelles, sans quoi je ne pouvais pas reconnoître sa maladie. Il y consentit volontiers. En les examinant je remarquai dans le côté droit du *scrotum* une tumeur fort considérable par son volume, dans laquelle je sentis une fluctuation manifeste au toucher ; de là je jugeai d'abord, que la liqueur, qui la formoit, étoit renfermée dans les membranes propres du testicule droit, ce qui fait la vraie hydrocele. Mon opinion me paroissoit d'autant plus certaine, que les membranes communes des bourses étoient minces & sans transparence, au lieu qu'elles deviennent fort épaisses & luisantes, quand leur tissu est abreuvé de serosité, ce qui fait une oedematie particulière, qu'on appelle fausse hydrocele. Mais ce S. Religieux me tira aussi-tôt de mon erreur ; car en comprimant devant moi la tumeur avec ses deux mains, il en fit sortir l'urine par le canal de la verge, & l'enflure disparut entièrement ; ce qui me fit aussitôt changer de sentiment. Je lui avoisi ma surprise, en l'assurant, qu'il avoit certainement une descente de vessie, que son fond avoit passé par les anneaux des deux muscles obliques & du muscle transverse du ventre, & que l'urine, dont il se remplissoit, produisoit la tumeur, dont il étoit affligé. Enfin je lui représentai, qu'il n'y avoit point de remède à son incommodité, par ce que la vessie devoit être adhérente à la surface intérieure du *scrotum*, comme se trouve ordinairement le péritoine prolongé jusqu'aux bourses dans les descentes ordinaires, soit de l'épiploon ou des intestins, qu'ainsi il étoit absolument impossible de réduire la vessie dans sa place naturelle. Je lui conseillai de porter seulement un suspensoir.

En sortant du Monastere, je dis au frere infirmier, qui m'accompagnait, que depuis que je pratiquois la chirurgie, je n'avois rien vu de si monstrueux. Je le priai de me faire le plaisir de me permettre d'examiner cette descente de vessie après la mort de ce Religieux, qui avoit plus de quatre vingt ans. Ce Frere comme il n'avoit pas moins de curiosité que moi de connoître un fait si extraordinaire, il n'eut pas de peine à m'accorder la grace, que je lui demandois ; il me promit de me faire avertir de sa mort, sitôt qu'il seroit decédé, ce qu'il fit peu de temps l'après. Etant arrivé au Monastere, nous allâmes seuls dans une des chambres de l'infirmerie, où le corps du defunt étoit en depot, & là j'ouvris le ventre & les bourses. Nous remarquâmes, que la vessie étoit effecti-

effectivement adherante dans le scrotum, de même qu'ailleurs, comme je l'avois jugé auparavant. Sa figure representoit celle d'une gourde, qui est une espece de courge, dont les pauvres voyageurs se servent pour mettre & conserver leur boisson. Le fond de la vessie, qui en faisoit la partie la plus evasée, occupoit le côté droit du scrotum, son milieu en faisoit la partie la plus étroite; parce qu'il étoit resserré dans les anneaux des muscles de ventre, sa fin avoit plus de capacité, mais moins que son fond; elle étoit placée dans la partie anterieure de la region hypogastrique, comme à l'ordinaire; son fond étoit recouvert du dartos, son milieu des muscles du ventre, le reste du peritoine, de sorte qu'elle étoit jointe à toutes ces parties, qui l'environnoient. Nous examinâmes ensuite les visceres renfermés dans la capacité du ventre, nous les trouvâmes tous dans leur état naturel, excepté qu'un des intestins étoit tombé dans le coté gauche du scrotum.

THES. XVII.

Altera observatio eundem statum p. n. ob oculos ponens sequentibus ab Eodem verbis recensetur: La seconde descente de vessie, que j'ai vüe dans l'Hôtel Dieu à une pauvre femme grosse de cinq à six mois, n'étoit pas moins extraordinaire, que celle que je viens de rapporter. Cette femme urinoit avec beaucoup de peine. En l'examinant je lui trouvois une tumeur d'un volume plus gros, que celui d'un oeuf de poule. Cette tumeur étoit située entre l'anüs & la partie inferieure de l'orifice externe de la matrice. En la tâtant, j'apperçus quelques gouttes d'urine sortir par l'urethre. D'où je conjecturai, que cette tumeur pouvoit être causée par l'urine, qui sejournoit dans le fond de la vessie déplacée. Pour mieux m'en assurer, je comprimai peu à peu la tumeur, & elle disparut entierement, toute l'urine qu'elle contenoit s'étant ecoulée par le canal de la vessie. Cet evenement changea mon soupçon en une entiere certitude. Voila le fait tel que je l'ai remarqué. Tertiam historiam ibidem consignatam sic legimus. Depuis peu j'ai vü à une personne de qualité une descente de vessie, semblable à la premiere, dont j'ai parlé. Cet homme de consideration portoit un bandage d'acier, suivant en cela l'avis de ceux, qu'il avoit consultés, & qui avoient pris son incommodité pour une enterocèle, ou chute d'intestin dans les bourses. Je lui conseillai de quitter son bandage; parce qu'en

comprimant le milieu du corps de la vessie contre les os pubis, il empêchoit la partie de l'urine contenue dans son fond, de remonter du scrotum dans le reste de la cavité de la vessie, pour prendre la route du canal de la verge. Il me crût, & se trouva beaucoup mieux qu'auparavant. Præterea supra jam innuimus Cel. RUYSCHIUM ejusmodi herniam bis in praxi sua aïnotasse, quare non alienum esse putamus, ejus historiam paucis quoq; tradere. (t) Amplissimus vir, mercator Amst. ab aliquot annis in tantam mingendi difficultatem incidit, ut urinam reddere nequiverit, nisi manu scrotũ elevando comprimeret. Reticuit hoc malum tamdiu, donec simul, mirum dictu! in bubonocelen solo terrore incideret, cui mederi, cum in artis potestate non esset, brevi diem suum obiit. Aperto post mortem cadavere, tota vesica urinaria in scrotum prolapsa ab Eo & aliis Medicis atque Chirurgis raro spectaculo visa fuit. Uti vero hæc hernia cystica cum bubonocèle complicata erat, ita Idem nobis aliam exhibet cum calculis pluribus & immani dolore conjunctam, (u) qui calculi perita manu chirurgica & sectione è vesica extra finum pudoris una cum utero multum propendente feliciter extracti fuerunt. Inaudita (uti exclamat) *Lithotomia in muliere octogenaria tanto cum successu administrata.* Uti autem operatio, ita & totus de hoc prolapsu casus cum ab uteri procidentia, tum etiam à calculis generatus, dignus est, qui loco citato legatur, omnesque ejus circumstantiæ paulo accuratius ponderentur.

THES. XVIII.

Quibus addi meretur casus, quem *Vir Clar. JOH. CONR. PEYER* in E. N. C. (x) his verbis exhibet: *Accidit A. C. 1682. Mense Martio, ut in Xenodochio Scaphusiano vidua decumberet, ex diuturna & gravi uteri procidentia laborans. Primum quidem ante plures annos, cum uxor marito adhuc uteretur, leve malum fuit, nihilque aliud quam vaginæ laxamentum. Postea vero conceptione & partu iteratis paulatim ita degeneravit, ut vagina omnis inversa prominere ac inter femora nutaret. Procidentiam ægra sibi identidem ipsa re-*

po-

(t) Obs. Anat. Chir. 98. (u) Idem Obs. I. & Thes. Anat. VIII. pag. 57. & seqq. (x) Dec. II. An. I. Obs. 84.

posuit & pila cerea utcunque firmavit, donec novissime difficulter parturienti uterus edito fœtu in vaginam pendulam prolaberetur. Pensilis massa carnis spithamam æquavit longitudine, crassitiem utraque manus facile complecti haud potuit, tantumque doloris & molestiæ agrotanti creavit procidentia, potissimum obambulaturæ & rem familiarem curaturæ, ut subinde mortem præoptaret. Inferne per patulum uteri orificium menstrua statis temporum intervallis promanarunt. Matricem autem extra pudenda delapsam manibus nostris aliquoties palpavimus, quæ tamen inversa haut erat, ut oculis conspici posset, sed latens intra vaginam propendulam contractari potuit & comprehendere manibus. Illa sursum aliquando compulsa nativam sedem cum saltu repetiit; at vaginam in pristinum restituere locum non licuit. Tandem cum nihil remedii superesset, & alia atque alia mala imminerent, hanc amputare visum est. Eventu autem spem non implente, ægra mortem occubuit. Docuit post Anatome uterum revera procidisse vaginamque totam fuisse inversam. Adhæc, quod magis mirum & plane novum videtur, cum utero vesicam urinariam similiter mutata sede procubuisse annotavimus; ceu pluribus aliquando forsân denarrabit Inclytus WEPFERUS, qui horum omnium nos voluit esse testes oculatos. Nec tamen rupta fuerunt uteri & vesicæ vincula, sed tantum laxata. Tandem CORN. SOLINGEN (9) oppido raram inversionis seu procidentiae colli vesicæ historiam nobis reliquit, quæ ita sese habet: A. 1676. infimæ plebis fœmina conquesta est, se aliquando foetum difficili partu enixam, & à marito durius, nempe ictibus atque verberibus in ventrem infimum exceptam fuisse, à quibus abdominis subsidentiam observavit, & urinam excernendi difficultatem passa fuerit, eo, quod illo in loco, ubi urina profiliit, protuberantia insignis sese proderet. Idem oculari inspectione facta meatum urinarium inversum atque digiti minoris longitudine propendentem deprehendit. Quas observationes è rerum anatomicarum & chirurgicarum Scriptoribus fide dignis modo allegatas vesicæ urinariæ in scrotum non solum, sed & sinum pudoris prolapsum satis sufficienterque comprobare & confirmare autumamus.

D 3

THES.

(9) Obs. de Mulier. & Infant. Morb. Chir. pag. 741.

THES. XIX.

Hisce, quantum fieri potuit, stabilitis ad differentias herniae cysticae explanandas pergimus; uti autem reliqua ramicum genera differunt, ita & hic discrepat I) Loco, quo nunc inguinalis est, si quando vesica per annulos abdominis erumpens ad regionem iliacam descendit, atque in inguinum alterutro subsistit, postea vero ingravescente malo ad scrotum ipsum pergit, cum bubono-entero-vel epiploocele apprime conveniens; in eo tamen diversus est hic ramex, quod internam peritonaei lamellam non ante se propellat; quam speciem duo numero casus ex HIST. ACAD. REG. SCIENT. (2) nec non ille è FRID. RUYSCHIO (a) allegati declarant; nunc vero si vesica una cum utero ejusque vagina ad sinum pudoris prorumpit; illa stricte loquendo hernia, hæc descensus vocari debet. II) Decursu atque via, quam emensa est, quo intuitu modo completa, dicto viscere ad scrotum usque in viris, in foeminis ad muliebria delapso, modo incompleta eodem in summo adhuc inguine haerente. III) Partibus, quae è sede sua motae sunt, quae diversitas, uti in aliis herniis speciem constituit, ita in nostra pariter jure meritoque attendenda; cujus reliquae observationes, nempe quinta & sexta fidem faciunt; quo respectu alia simplex, alia complicata dicenda, hæc differentia in utramque cadit, scilicet in inguinali cystis urinaria, quia peritonaei lamellam internam deorsum propellit, infundibuli figuram referentem intestinum aliquod, vel etiam epiploon facile admittit, adeoque cum enterocele aut epiploocele quandoque complicatur. In vaginali vero vix sola vesica occurrit, sed simul uterus aut ejus vagina, ansam illi praebens & occasionem, antea ad inferiora descendit, quare etiam complicata non inepte vocatur. Quo in loco sicco pede praetereundum non est, herniam cysticam ab aliis quoque discrepare, quod sacco peritonaei, uti omentum aut intestina, nunquam inclusa sit vesica, quin potius ille, si dicta membrana simul deorsum trahitur, vesicae urinae tantum incumbat superiore

(2) Ann. 1713. pag. 146. & seqq. (a) Obs. Anat. Chir. 98.

riore in loco constitutus; quod si vero ab uteri vagina rames hic exortus fuerit, tunc in ejus sacco p. n. formato recondita latet. Calculi plures, quos in casu RUYSCHIANO (b) cystis urinaria in sinu suo alebat, non novum quidem genus, sed solum circumstantiam notatu dignissimam exhibent, de quibus infra pluribus dicemus. Non vero idem sentiendum est de observatione oppido rara CORN. SOLINGEN, quae diversam utique speciem, nempe inversionem seu procidentiam colli vesicae nobis sistit, si modo alia pars oculis sese offerens sub specie vesicae huic Auctori non imposuit. Haec cum uteri inversione in aliquibus convenit, in aliis vero multum discrepat, id quod in tractatione causarum paulo prolixius deducemus. Reliquas differentias vel à tempore vel à symptomatibus variis depromptas silentio hic praeterimus, eo, quod noster affectus istas cum aliis herniis communes habeat.

THES. XX.

Ad causas herniarum explicandas dum pedem promovemus, quaedam de generalioribus praelibare animus nobis est, post eas, quae speciatim ad cysticam disponunt, paucis subjungemus. Causas herniarum productrices in internas atque externas dirimi in vulgus notum est; quarum multae & variae hinc inde ab Auctoribus recitantur, quas tamen non omnes hic afferre lubet, sed eas potissimum breviter attingemus, quae imi ventris partes supra memoratas membranaceas ac tendineas relaxandi ac dilatandi virtute gaudent, nec non quae connexionem magis minusve arctam, quam cum vicinis partibus habent, dissolvendi aptae natae sunt. Priores omnia ea pro causa & origine agnoscunt, quae naturali fibrarum constitutioni & tono debilitando velificantur. Ubi merito accusandus venit humorum in corpore vel circulantium, vel etiam in vicina aliqua parte stabulantium justo major affluxus ad partes illas, quae herniam patiuntur, praepriis serum abundans & easdem continuo irrigans; quod videre est in temperamento phlegmatico, in hydrope ascite, non minus in anasarca, in qua aquae p. n. eo depluunt;

qui

(b) Thes. Anat. VIII. pag. 53. & seqq.

qui humores eo delapsi & stagnantes peritoneum, abdominis musculos eorundemque tendines & partes, quae ob rationes supra recensitas perviae sunt, non parum relaxant; quo posito à levi causa occasionali accedente cedunt, partibusque exitum molientibus transitum praebent. Idem quoque omentum atque intestina alias laevia magis lubrica reddunt, quod in causa est, ut postmodum facilius erumpant. Id quod de humoribus serosis modo dictum est, de oleosis quoque & pinguibus valet, utpote quae eundem effectum edere toto die experimur. Hinc diaeta pinguis & oleosorum abusus eo pariter disponit, & è multorum opinione entero-bubonocelen Helvetiae incolis adeo frequentem (c) infert, aut aliis quibuscunque, qui oleo, butyro, aut adipe magna ex parte victitant. Uti & exuperans corporis obesitas quandoque hujus mali causa existit. Ad hanc quoque classem pertinent, quaecunque flatus generare atque alere solent, qui intus incarcerati impetum in intestina faciunt, eaque uti ad alia loca, ita & ad ea, quae in abdomine hiant, cum vi propellunt, par ratione ac uteri prolapsum ab iisdem enatum fuisse legimus. (d) Non minus uteri moles in gravidis multum aucta, extraordinaria vesicae in ischuria expansio eo confert. Quod vero attinet causas, quae in viscera herniam formantia agunt, ista in arctum cogendo vel eorum connexionem cum partibus vicinis dissolvendo, sunt illae respiratio aucta vel diu cohibita in tussi ferina, magno parturiendi labore, insigni alvum deponendi conatu, tubarum inflatione; quo nisu extraordinario partes infimi ventris, maxime quae liberius fluctuant, inferiora versus & ad annulos protruduntur, inque eos, uti & peritoneum non levem impetum faciunt. Uti autem sufflaminata respiratio multum ad herniarum generationem confert, ita quoque eadem extraordinario modo aucta seu reciprocus ille motus, quo aër dilatato pectore in pulmones cum vi admittitur, constricto autem iterum expellitur, eo disponit, quod

(c) Freytag. diff. de Oscheo-Entero- & Bubonocelen. (d) E. N. C. Vol II. Obs. 63.

quod fieri solet in vomitu enormi, à sermone pro concione diu multumque protracto, ab oneris gravioris gestatione, repleto præprimis ventriculo; in infante à forti mamillarum suctione, (e) quibus actionibus dictæ partes modo sursum, modo, & quam maxime deorsum impetuose moventur, suamque virtutem in annulos, potissimum si relaxati antea fuerint, non parum exerunt. Quibus addimus ex animi pathematibus terrorem, à quo solo aliquem subito herniosum factum esse expertus est FRID. RUYSCHIUS. (f) Referendi inter causas externas quoque sunt violenti in lucta motus, equitationes & cursus concitatioris, gravioris ponderis elevatio, coitus effrænatus, exercitia athletica, ictus validior abdomini inflictus, casus ab alto, aut alia vehementiore ejus concussio, quæ & forsan aliæ causæ & hernias generant & jam prognatis augmentum præbent.

THES. XXI.

Antequam huic de causis tractationi finem imponamus, ab instituto nostro haud alienum esse censemus de controversia ab aliis mota quædam addere, utrum nempe peritonæum in ramice nonnisi relaxetur, an vero quandoque etiam omnino rumpatur, hac potissimum ratione inducti, quod aliqui hujus mali differentiam inde depromant. In confesso utique est, quod supra jam innuimus, relaxationem ejus sensim & successive factam frequentissime locum invenire, qua in re tantum non omnes naturæ scrutatores consentientes habemus. De ejus ergo disruptione nobis potissimum sermo erit, & inquirendum, an & illa quandoque accidat. Sæpius allegatus & laudatus FRID. RUYSCHIUS eandem in Observationibus Anat. Chir. in dubium vocat, (g) & Advers. Anat. (h) prorsus negat. BURCKH. DAV. MAUCHARDUS Tubing. Prof. Celeb. & Arch. Wirt. (i) judicium hac de re & assensum suum suspendit, eo quod in quinque subjectis herniosis sollicitè dissectis nonnisi

E
dila-

(e) E. N. C. Dec. III. Ann. IV. Obs. 107. (f) Obs. Anat. Chir. 98. (g) Obs. 98. (h) Dec. II. §. 9. (i) Diff. de Hern. incarc. Ann. 1722. Tubing. habit.

dilatatam peritonæi lamellam, nunquam vero ruptam reperit; quod etiam ne quidem unico, eoque sufficienti testimonio hanc rupturam ullibi suffultam deprehenderit, quod denique ab aliquibus artis suæ peritissimis Chirurgis Parisiensibus acceperit rupturam iisdem nunquam obvenisse, quibus motus Vir hic Excellent. in negativam inclinare videtur sententiam, persuasus tunicæ hujus robur & firmam cum partibus adjacentibus cohæSIONem huic de ejus ruptura hypothefi contrariari, neque satis validum censet argumentum, quod à præcipiti & subitanea herniæ ortu & formatione desumi alias solet. Absit vero, ut ea, quæ solide hac de re differuit, in dubium hic vocemus, liceat modo nobis, pace Illius, unum vel alterum ulteriori disquisitioni & meditationi commendare. Et I) quidem peritonæi robur tantum non esse, ut impetui etiam majori resistere valeat, imo ne quidem relaxatis annulis aut integumentis ab instrumento læsis intestina in situ continere potis est hæc membrana. II) Nos non latet, hoc æque ac alias etiam membranas mirum quandoque in modum expandi, si dilatatio earum successive & per gradus fiat, id quod integumentorum in hydrope ascite, hydrocephalo aut gestatione gemellorum, in tumoribus tunicatis, arteriarum & venarum in varice & aneurismate magno, ureterum (k) in calculo ibi hærente stupendum quandoque in modum expansio non obscure demonstrant. Quibus addimus omentum, quod in epiploocele adeo extenditur, ut in statu naturali vix ultra umbilicum exporrectum in p. n. ad scrotum usque descendat. Quod si vero è contrario illa ipsa dilatatio uno velut impetu facta fuerit, ruptionem supervenire verosimile est. III) Observatio sequens, quam *Excell. Dn. Præses* pro sua nunquam satis laudanda humanitate nobiscum communicare haud dedignatus fuit, illud potissimum confirmare videtur; Lutetiæ Parisiorum stabularius bubonocèle incompleta antea laborans ictum equi fortiter calcitrantis abdomini inflictum recepit, à quo mox tota intestinorum moles uno veluti momento

(k) Ruyfch. Obs. Anat. Chir. XXXVII.

mento in scrotum prolapsa aliud fere abdomen magnitudine referebat, ordinario magna ex parte evanescente & fere penitus collapsio. Quo in casu non possumus non nobis aliisque persuadere, lamellam peritonæi internam disruptam utique fuisse. In quo confirmamur avtopsia supra citati Petiti Chirurgi peritissimi, qui in simili hernia eandem causam agnoscens supernam sacci à peritonæo formati portionem ita solutam observavit, ut in operatione felici cum successu administrata nullum prorsus saccum alias præsentem inveniret. (1) Cum vero hæc peritonæi ruptura, de qua controversitur, nostro in affectu locum non inveniatur, de ista prolixioribus nobis esse non licet.

THES. XXII.

Postquam plerasque herniarum causas in genere enumeravimus, postulat jam ordo, ut quoque dispiciamus, quomodo contingere possit, & revera contigerit vesicæ urinariæ prolapsus. Equidem sunt Viri rerum Anatomicarum & Chirurgicarum peritissimi, qui vesicam, eo modo, quo omentum vel intestinorum aliquod situm mutare atque delabi iussiantur, quos inter eminet plus una vice *laudatus* MERY, (2) qui rationibus haud contemnendis innixus illam herniæ speciem, quæ per annulos abdominis fit, & non à prima conformatione est, in dubium vocat; quarum I) est, quod vesica partibus aliis ope urachi, arteriarum umbilicalium & ligamentorum supra recensitorum tam firmiter, tamque arcte undique cohæreat, ut non adeo relaxari, multo minus è sede naturali prolabi queat. II) quod viscus hoc cavum urina repletum atque valde expansum majorem in molem excrescat, quam ut per annulos musculorum abdominis transire valeat. III) quod vesica in supra memorato casu, præter quod cum scroto cohæserit, plane non alterata, neque malum ullis symptomatibus stipatum fuerit, quod tamen in malo inveterato experientia alias probat. Quibus motus herniam cysticam

E 2

vitio

(1) Vid. Garengot Oper. Chir. T. I. c. 7. (2) Hist. Acad. Reg. Scient. 1713. pag. 24. & Act. ejusd. Ann. pag. 151. & An. 1717. pag. 17

vitio conformationis in utero contracto, non vero causæ adventitiæ adscribit. Hæ rationes à laudato MERY allegatæ, quamvis prima fronte speciosæ videantur, plura nihilominus argumenta in medium afferri posse putamus, quibus hic vesicæ prolapsus stabiliatur, quæq; eo minus sicco pede transire volumus vel debemus, quo magis in aprico est, totius rei cardinem in hoc verti. Et primo quidem quædam ab aliis prolata recensebimus, deinde nostra qualiacunque subjungemus. *Dexterrimus* PETIT^(m) largitur quidem, vesicam urinariam non facile è situ delabi, eo tempore, quo plena est, sed, ut vacua sit, necesse esse; hoc tamen non obstante aliqua in contrarium profert, nempe I) vesicam vel ab urinæ copia vel in senectute vel ab alia quacunque causa dilatatam atque atonia affectam planiorem reddi, pristinamque figuram, quam in statu naturali habuerat, ac locum non æque recuperare. II) eandem urinam repletam ex ipsorum ægrorum sensu atque testimonio versus abdominis annulos multum propelli, id quod vel actioni diaphragmatis & musculorum abdominis intestina reliquaque viscera deorsum prementi, vel etiam renisui peritonæi fundo ejus annexi, atque expansioni versus superiora obicem ponentis procul dubio adscribendum. III) in gravidis eo tempore, quo urina in ea accumulatur, sursum & retrorsum ob pressionem uteri, neque antrorsum propter ossium pubis resistantiam ferri posse, sed utrinque ad latera cogi, & duo veluti cornua formare, quæ, si ad annulos accedunt, per eos elabi posse; magis si hi ipsi aut à vi, quam cum uterus tum reliqua abdominis viscera in illos exserunt, debilitati atque dilatati fuerint; eo quippe secedit, ubi minor resistantia est. Quod vero de sexu sequiore imprægnationis tempore asserimus, in virili ab aliis causis agentibus contingere quoque posse, nemo est, qui vel nobis tacentibus non intelligit. *Exper.* DE LITTE⁽ⁿ⁾ contendit, vesicam, dum expanditur æque libere in abdominis cavitate ac intestina fluctuare, eoque posito,

(^m) Hist. Acad. Reg. Scient. Ann. 1717. pag. 17. (ⁿ) Hist. Acad. Reg. Scient. An. 1713. pag. 151.

to pari ratione in scrotum delabi ; quod tanti roboris esse nobis non videtur, ut assertum Meryanum infringere valeat.

THES. XXIII.

Potius alia quædam adjiciemus, quibus vesicæ hernia corroborari forsan poterit, & I) quidem vitium conformationis & situm à nativitate prorsus extraordinarium quandoque occurrere non inficiamur, quippe quod confirmat Rousseus. (o) II) quod vesica multum & sæpius dilatata peritonæum sursum propellat, ejusque vincula, quibus ossi pubis aliisque partibus committitur, successive relaxet, quæ postea ad pristinum statum non facile redeunt. III) quod eadem retro lamellam peritonæi locata sit, adeoque non opus habeat illam ante se propellere, uti ab intestinis fieri debet ; verum tunica cellulosa levi negotio cedente, illa ipsa inter os pubis & ileum, atque dictam peritonæi lamellam constituta annulos tandem perrumpat ; neque hoc impedit, uti Mery vult, quod iidem à peritonæo obtecti sint, quia eadem rationes hic militent. Idem quoque IV) confirmatur ex analogia ab intestinis desumpta, quæ fœcibus aut flatibus etiam distenta eidem nihilominus malo frequenter obnoxia observantur. V) dubio, quod plerique movent, nempe vesicam urinariam eousque extendi haud posse, ut per annulos ad scrotum exporrigatur, aliquo modo occurritur, si animo concipimus, quantam partes membranaceæ dilatationem, quæ sensim fit, quandoque patiantur, cujus rei exempla supra §. 21. adduximus. Quare non impossibile nobis videtur, & vesicam, utut rarius, pariter dilatari & dilatatam tantum viæ emetiri posse. Quod vero de vesica non alterata assertur, ei VI) respondemus, illam ob minorem vasorum copiam non ita facile ac intestina alterari, tum & materiam ibi contentam fluidamque liberius fluctuare, & modo in hunc, modo in illum saccum transire, adeoque non tantam cystidi vim ac fœces intestinis inferre, tum etiam lotium sæpius excerni atque inde

(o) In Cattieri Obf. 20.

utrumque faccum depleri, secus ac in intestinis fit, in quibus excrementa magis incarcerata sunt. Denique cum duplex intestini portio annulo inhæreat, superior, seu illa, quam contenta primum ingrediuntur, inferiorem comprimens illis ipsis viam præcludit, unde in arctum coactæ fœces canalem maxime distendunt & inflammationem successu temporis inferunt, id quod de vesica urinaria metuendum non est. Quod si VII) consideramus, utrum ejusque vaginam eidem malo non raro obnoxiam esse, uti frequens experientia comprobabat, (p) colligere aliquatenus licet, firmam vesicæ atque arctam connexionem huic prolapsui non contrariari; quod enim utrum spectat, quatuor ille ligamenti alligatur, quæ licet non adeo robusta sint atque ascensum magis quam descensum impedian, cum aliis tamen partibus, præprimis pelvis parietibus connexus ille est; magis vero ejus vagina fibroso quodam nexu posterius cum intestino recto, antè cum vesica urinaria, à lateribus cum membranis satis firmatur, quo non obstante hæc connexio frequenter dissolvitur, & modo dictus canalis vel ex parte vel toto sui tractu ab adjacentibus divellitur. Ut taceamus VIII) observationes prostare, quæ ipsius etiam ventriculi descensum in sinistram regionem hypogastricam, (q) aut in cavitatem thoracis per diaphragmatis vulnus (r) probatum eunt. Quid ergo dubitamus, vesicam eo quoque progredi posse, ut per annulos sæpe memoratos erumpat. Quibus accedit IX) & nostro qualicunque judicio maximum momentum affert, quod subiecta, si non omnia tria, duo saltem, quorum MERY meminit, in adulta jam ætate constituta fuerint, quemadmodum historię fidem faciunt. Qui ergo factum, ut malum, quod à vitio conformationis fuisse asseritur, in hac demum ætate (Religiosus enim octuagenario major erat,) sese exseruerit, & non primis statim annis symptomata valde molesta produxerit, per tantum temporis vix toleranda. Quibus rite pensatis ali-

(p) Ruyfch. Obs. 8. 9. 24. & 25. (q) Nic. Blegny Zod. Med. Gall. Ann. I. Mens. Febr. Obs. 2. (r) Fabr. Hildan. Cent. II. Obs. 33.

aliquatenus intelligitur, vesicæ urinariæ per annulos elapsui nec visceris magnitudinem, nec firmam partium adjacentium cohæSIONem, nec alias forte rationes adeo contrariari, ut eundem pro impossibili venditemus. Quod dum stabilimus, illum rarum, imo rarissimum & parum hætenus cognitum affectum esse lubentes largimur.

THES. XXIV.

Causis herniarum generalioribus supra §. 20. in medium adductis, argumentis etiam, quæ herniam cysticam comprobare nobis videntur, allatis, instituti ratio postulat, ut speciales nostri ramiciis causas paucis recenseamus. Quarum præcipua fere est nimia vesicæ dilatatio atque expansio, ad quam sustinendam ex indole & structura sua valde apta est, (s) hæc facta vel ad utrumque, vel, quod familiarius ad alterutrum latus secedit, adeoque ad annulos appropinquat; simul vero vel illa ipsa vel alia abdominis viscera in arcum coacta impetum in dictos annulos faciunt, qui debilitati cedunt & partem hanc prolapsuram transmittunt Fit autem hæc majorē in molem mutatio, nunc à potu aquoso simplici, aut minerali, imo &, quod non infrequense est, vinoso, nimia in copia assumpto atque diutius voluntarie retento, quandoque ad rupturam usque, quod insigni Astronomo Tychoni de Brahe accidisse perhibetur, quod malum alii inflammationi tribuere malunt. Hoc si frequentius contingit, sensim atque sensim in majus volumen excrescit vesica, quandoque in tantum, ut teste TIBALTIO (ss) Chirurgo dexterrimo duas mensuras cum dimidia capiat, neque postea ad pristinos limites facile redit. Non minus injectionem liquoris copiosi repetitam, quæ ante operationem lithotomiæ altiore apparatu instituendæ fieri solet, idem effectus sequi potest. Nunc à retentione aut suppressione urinæ involuntaria diu subsistente, uti sectiones cadaverum hoc morbo defunctorum id palam faciunt. Quæ causæ eò efficacius agunt, quo magis fibrae visceris hujus cavi

vel

(s) Vid. Panaroli Pentecost. I. Obs. 27. (ss) Hist. Acad. Reg. Scient. Paris. 1713. pag. 151.

vel à senio, vel à temperamento, vel à quacunque alia causa atonia laborant, tunc enim liquori aut alii corpori dilatanti facilius cedunt; item quo laxior est parietum ejus structura, de qua *Illustr.* MORGAGNUS (t) his verbis loquitur: *A laxiore quibusdam in locis parietum structura & à nimia interdum retenti humoris copia ejusmodi vesicarum dilatationes, atque, ut ita vocem, hernias deduco.* Pariter quo magis laxata vincula sunt, quae vesicam cum partibus vicinis connectunt, eo major distensio à supra dictis causis metuenda. Haec autem vincula laxari posse & re ipsa laxari probatur ab affluxu humorum ferosorum in temperamento phlegmatico, in hydropicis, quorum abdomen aquarum moles inundat, nec non in senibus &c. analogia ab aliis partibus, potissimum à vagina uteri desumta, cujus connexio, utut firmior, interdum dissoluta procidentiae notabilis causa haud raro existit. Non minus eo conferunt impregnationes frequentiores, siquidem à mole uteri aucta primo vesica multum versus os pubis comprimitur, quae lotio magis minusve repleta & sursum pergere non valens ad latera sese extendere propiusque ad annulos accedere cogitur. Quibus accedit figura vesicae in hoc sexu peculiaris, qua superius & utrinque à latere duos velut angulos obtusos refert, quæq; cæteris paribus causa ejusmodi prolapsus non ultima est. Deinde tota viscerum & præprimis intestinorum compages in angustias coacta in dictos annulos impetum facit, eosque sensim sensimque dilatat. Prius eo certius evenit, quo magis collum vesicæ premitur, & hæc ab urina accumulata atque diutius retenta circa fundum dilatatur; quod ipsum pariter à partu difficili, foetu nempe diutius in uteri cervice hærente, sæpius provenire in confesso est.

THES. XXV.

Uti vero vesicæ dilatatio, ita pariter ejusdem constri-
ctio extraordinaria ad hunc affectum generandum quandoq;
confert, qua ob exquisitum sensum à tunica nervea oriun-
dum sæpissime afficitur, sive ille à calculo, primæ juventutis
&

(t) Advers. Anat. III. Animadv. 36.

& ultimæ senectæ tormento, five ab enormi texturæ nerveæ expansione, qualis post liquoris copiosi injectionem quandoque contingit, five ab ejus hæmorrhoidibus non rite succedentibus, aut alia sanguinis in vasis stagnatione indeque orta inflammatione, five ab urinæ acrimonia & crusta villosa ex parte abrafa, five à sanguinis eo delati dyscrasia falsa, acri, natales suos ducat. vid. FRID. HOFFMANNI, *Prof. Hallens. longe Celeb. Diss. de morbis ex spasmo vesicæ*. Id quod paradoxum quibusdam videbitur eo, quod constrictione hac spasmodica vesicam potius coarctari quam distendi, adeoque ad regionem hypogastricam haud ferri verosimilius sit, uti in iis, qui calculi cruciatibus diu multumque divexati fuerunt, istam mole minorem atque angustio rem deprehendimus. Quod ipsum cum experientia concordare largimur, si tota vesicæ substantia, non item si aliqua tantum ejus pars spasmo constringitur, ac contractione illa ipsa vel elongatur, vel alia ratione contorquetur, eodem modo, quo intestina à colicis doloribus spasmodice affecta per annulum abdominalem aut cruralem elabi observamus. Inter causas externas violentas referimus non tantum ictus, sed & vulnera regioni inguinali inflicta, in quibus integumenta abdominis communia ad peritonæum usque læduntur, quo in casu vesica retro lamellam internam locata facile erumpit, prægressa hujus expansione & substantia cellulosa levi negotio cedente.

THES. XXVI.

Et hæ causæ ad prolapsum vesicæ inguinalem generandum disponunt. Quod vero illas spectat, quæ ad sinum pudoris eam procidere faciunt, si non unica, præcipua saltem est uteri vel ejus vaginæ descensus. Neque aliter fieri potest, quin illa ipsa hisce partibus, quibus firmissime connexa est, è sede sua motis pariter in consortiū trahatur. Unde FRID. RUY-SCHIUS (u) avtopsia propria edoctus confirmat, *uterum è corpore propendentem secum rapuisse magnam vesicæ portionem, quod rarissime (si unquam) ante hac visum est*. Idem vero frequentius con-

F

tingit

(u) Thes. Anat. VIII. pag. 60.

tingit à vaginæ, quam uteri ipsius procidentia, utpote cum qua arctius cohæret, & quidem cum parte ejus antica, quare si postica & laterales loco moventur, status hic vesicæ p. n. non æque insequitur. Quod si vero quis inferat, inde sequi, herniam vesicæ, quam supra rarissime fieri asseruimus, æque frequentem futuram ac vaginæ prolapsum, cui tamen experientia refragatur, ei respondemus I) quod de rariore vesicæ prolapsu supra dictum à nobis est, de illa, quæ per annulos abdominis in inguinum alterutrum fit, intelligendum esse. II) anticam vaginæ uteri partem rarius, frequentius posticam & laterales, ob eundem arctiorem connexum loco moveri. III) hac etiam posita non nisi descensum, æque ac in utero, plerumque fieri, ut vero procidentia extra pudoris finem contingat, opus esse, ut vaginæ aut uteri vitium enorme sit atque extraordinarium. Si quis instat, hanc quoque interdum observari, præter quod cystis urinaria in consensum trahatur, ei regerimus, vel uteri vaginæve molem tunc obstare, vel vesicam re ipsa prolapsam non agnosci; quod ut statuamus, eo nos inducit FRID. RUYSCHIUS, qui licet circa corporis humani partium structuram non minus quam ullus alius versatus fuerit, de hac vesicæ procidentia dubius quàm maxime hæsit. (x) Præterea inter causas symbolum suum eo quoque conferunt calculi in sæpius nominati visceris cavo hospitantes, quod accidens, utut insolitum sit, si simul conjunctum est, non potest non fieri, quin pondere suo atque gravitate faccum, in quo continentur, deorsum trahant atque vesicæ prolapsum, si non primario generent, tamen facilitent atque augeant, id quod ex observatione, quæ in E. N. C. (y) prostat, non obscure patet, utpote quæ docet, *vesicam ad sinistram perinæi partem protrusam tumorem ibi efformasse, nec non calculum illam in tantum immerfisse, ut primum intuentibus deesse credita fuerit.* Ibidem vesicæ procidentiam rectum quoque intestinum secum rapuisse adjicitur. Inversio colli vesicæ, cujus SOLINGEN (z) meminit, uti magis admiranda & plane nova videtur, ita mo-

dus

(x) loc. cit. (y) Dec. II. Ann. V. Obs. 71. (z) loc. cit.

dus fiendi ejusque causa cognitu & explanatu difficilior est. In aliquibus cum uteri inversione convenit, in aliis vero ab ea discrepat; sicut enim illius inversio mox post partum orificio multum hiante, vel à diuturnis laboribus, vel à rudiori obstetricantis manu inducitur; ita quoque idem status p. n. in hac eveniens partui difficili non immerito adscribitur, junctis ictibus, à quibus subinde à marito in abdomen excepta fuit hoc incommodo laborans; à quibus, præprimis partu difficili urethra, quæ in sexu sequiori & notabiliter amplior est & brevior, atque ad majorem dilatationem suscipiendam idonea, multum relaxata vesicæ collum foras enitaturque procumbere potest; id quod in sexu virili, in quo meatus urinarius minoris capacitatis & majoris longitudinis esse cernitur, non æque possibile esse quivis rerum Anatomicarum non omnino ignarus nobiscum intelligit. In hoc vero differt vesicæ colli inversio, quod cuique causæ urethram dilatandi & relaxandi aptæ supervenire illa possit, ad quam etiam refero calculos, quos notabilis licet magnitudinis extraordinario quandoque nisu edunt mulieres, atonia partis, per quam transierunt, postea manente. Tum & in eo differt, quod si à partu difficiliore est, diu post illum etiam contingere possit, secus ac in uteri inversione fieri modo annotavimus.

THES. XXVII.

Jam ad herniæ vesicalis signa progredimur, quæ, uti illa reliquarum herniarum, eo accuratius investiganda sunt, quo magis experientia confirmat, alios affectus ejusmodi elapsus mentientes, & prima specie præ se ferentes incautis quandoque imposuisse. Sic tumorem alium in inguine dextro pro descensu venditatum in E. N. C. (a) herniam umbilicalem pro tumore cystico à Chirurgis rerum ignaris habitum legimus. Alius non magis peritus bubone celen pro abscessu tractatam, & non sine magno labore emollitam lanceola tandem pertudit, è quo vulnere postea fæces involuntarie exierunt. (b) Quid mirum, si barbitonfor eodem errore in dia-

F 2

gnosi

(a) Dec. II. Ann. 7. Obs. 11.

(b) Act. Med. Berol. Dec. I. Vol. 6, n. 2.

E. N. C. Vol. II. Obs. 94.

gnosi commisso, nil aliud labore suo effecit, quam ut ægrum, qui se ejus curæ commiserat, simili prorsus malo exponeret. Si porro obstetrix ultra crepidam, seu rectius ultra uterum sibi sapere visa ejusmodi bubonocelen uterum prolapsum esse sibi aliisque persuasit, parumque abfuit, quin ægram male tractatam morti traderet. (c) Non minus testiculorum alter antea in abdominis cavo latens, & circa pubertatis annos erumpens rem non rite pensitantibus sub tumoris p. n. specie quandoque imposuit. Πολυθρύλληται est, quod hernia, uti forex, sese prodat tumore suo. Quia vero plurima dantur tumorum genera illi sollicite à se invicem distinguendi veniunt. Quibus noster affectus ab aliis differat, ex sequentibus aliquatenus elucescet. Communem cum aliis herniis præfert tumorem, qui vel in inguine, vel in scroto, veletiam in sinu pudoris sese manifestat, initio parvus & abdomen facile subiens à levi manuum pressione aut etiam commodo corporis situ, qui vero post aliqualem motum rursus erumpit & in majorem molem indies excrescit; ille qui in inguine est, eundem cum bubonocèle decursum habet; uti & calor, ubi manus tumori imponitur, notabilis, si inflammatio, strangulatio atque incarceration accessit, alias vix sensibilis. Ægri à frigore admissio eadem ac in enterocele incommoda sentiunt, non æque à cibis flatulentis, qui in nostrum malum parum virtutis exerunt. Hoc silentio prætereundum non est, nostrum affectum cum nullo alio herniæ genere communia magis signa habere, quam cum hydrocele, quæ sunt I) transparentia tumoris oculum inter & candelam collocati, ab aquis in sacco membranaceo stabulantibus proveniens, sed paulo minor, quia tunicæ vesicæ, utut dilatatæ sint, radiorum luminarium transitum aliquatenus impediunt atque infringunt, II) fluctuatio digitis tumorem hic inde moventibus perceptibilis, quæ eo tempore, quo vesica lotio multum repleta est, manifestior, quo vero ab ejusmodi humore excrementitio vacua existit, non æque observatur. III) dolor in loco

(c) E. N. C. Dec. III. Ann. 9. & 10. Obs. 2.

loco tumoris sensibilis atque constrictorius, etiam si inflammatio & stagnatio abest, quia vesica exquisito gaudet sensu & urina in parte prolapsa velut incarcerata detinetur. Hæc vero signa intellecta volumus de illa hydroceles specie, in qua humores ferofi tunicæ vaginali inhærent, quod si enim in scroto libere fluctuant, & tumor & undulatio & diaphaneitas major est, dolorque ab ægro minor sentitur. Accedente inflammatione calor partis affectæ augetur, dolor exacerbatur, & febris major minorve accenditur. Et quemadmodum in Epiploocele circa regionem ventriculi, & in enterocele circa umbilicum dolor tensivus sentitur, ita in hac herniæ specie sensus ejusmodi molestus in regione pubis se exerit à partium vesicæ contiguarum distensione oriundus. Plerumque etiam cum stranguria conjunctus est noster affectus, in qua non modo urinæ excretio laboriosa & difficilis est, & lotium per vices redditur, sed & continuo ad mingendum stimulo torquentur affecti.

THES. XXVIII.

Præterea æger vesicam à respiratione, aut alia vehementiore actione ad latus alterutrum atque versus annulos propelli interdum, sed rarius atque obscurius animadvertit, eoque in loco dolorem subinde excitari, quem per vices redeuntem ad signa herniam antecedentia refert *Clar. RIEDLINUS*, (d) Uti & hernia vesicæ nullum peculiarem saccum à lamina peritonæi interna formatum, uti epiploo-vel enterocele agnoscit, nisi pro illo venditare velis istam portionem, quam non ante, sed post se deorsum rapit. Signum vero specialissimum & jure meritoque pathognomonicum herniæ nostræ est notabilis dysuria & magna urinam reddendi difficultas, atque mingendi quandoque impossibilitas, nisi æger manu scrotum elevando tumorem simul comprimatur; nec non insigne levamen, quod compresso ita tumore & exitu urinæ concesso sequitur. Sic & probe tenendum illud est, quod æger neglecta hac enchiresi mingere fere nequeat, quia fibræ

F 3

mu,

(d) E. N. C. Dec. III. Ann. 9. & 10, Obs. 150.

musculares ob justo majorem dilatationem atonia laborant, seseque rite contrahere & fundum cervici appropinquare non amplius valent. Cui accedit, quod notabili urinæ copia hoc modo expressa, tumor vel penitus, vel magna ex parte evanescat, licet brevi post lotio in vesica accumulato & in partem prolapsam depluente sensim augmentum denuo capiat. Unde fit, ut postquam aliquam urinæ copiam emisserant hoc malo affecti, brevi spatio interjecto denuo mingere possint. Aliqui cathetere applicito rem hanc expiscari allaborant, hoc enim facto, si strangulatio abest, & liber urinæ ex una in alteram vesicam transitus datur, tumor pariter non parum disparet; de cujus instrumenti applicatione hic obiter annotamus, quod non ita libere, uti alias, hinc inde moveri possit aut debeat, tum ob vesicæ constitutionem quasi divisam, alteriusque partis angustias, quæ obstaculum ei opponunt, pari fere modo ac in vesica a diuturno calculo multum angustata idem experimur, tum etiam quia rudiori & ulteriori ejus immissioni gravia symptomata supervenire solent, eò citius & certius, quo major inflammatio jam præsto est. Quod symptoma sequentem in modum non inepte explicatur. Vesica urinaria ita prolapsa & ab annulis compressa in duos quasi loculos dividitur, superiorem & lateralem, qui elapsus est, atque inferiorem, qui in abdomine mansit, media inter utrumque pars ab annulis valde constringitur & veluti strangulatur; unde fit, ut in hoc statu p. n. cucurbitam ampullaceam, *eine Flaschen Kürbis* figura sua referat. Quæ compressio ab annulis facta ordinarium omnis lotii effluxum impedit, si vero urgente necessitate, & urina multum accumulata sui que exitum postulante, tumor atque scrotum superiora versus blanda manu comprimuntur & urina in inferiorem vesicæ partem propellitur, ejus exitus non parum facilitatur. Ad hanc mingendi difficultatem etiam pertinet, quod ubi modo lotiū emisserunt, paulo post non minorem ejus copiam excernant, item quod pro exoneranda vesica nunc hunc, nunc alium situm servare necesse habeant. Quod si inflammatio vel à nimia ve-

vesicæ distensione aut compressione aut alia de causa præsto est, signa colicæ nephriticæ accedunt, urinæ differentia cognoscendæ. (e) In fæminis hoc malo laborantibus moles uteri certam vesicæ partem comprimens eandem mingendi difficultatem parit. (f) Vomitus plerisque in herniis contingere experientia loquitur, ille vero, qui cysticæ supervenit, rarus est, non enormis, & tarde contingit. Supra citatus PETIT, (g) se observasse testatur, vomitus in hernia cystica cum strangulatione conjuncta sequi singultum, qui in aliis præcedit; an vero hoc symptoma semper ita eveniat, nos hic non discutimus?

THES. XXIX.

Et hæc signa vesicam in inguinum alterutrum prolapsam haud obscure declarant. Quia vero supra §. 19. indicavimus, & aliquot observationibus probatum ivimus, hanc partem in sinum pudoris quandoque etiam prorumpere, par est, ut eorum quoque mentionem injiciamus. Fatente quidem FRID. RUYCHIO (h) cognitu hoc arduum est; quia enim vesica ita prominens oculis haud patet, nec non vagina uteri oblecta exquisito tactu explorari nequit, diagnosi dubia redditur, quod eo minus mirandum, quo magis experientia docet, in procidentia pariter, uterina dicta quandoque difficulter dignosci, utrum uterus ipse, an vero vagina mali causa sit. Interim tamen, si visus in dubio nos relinquit, tactus de hoc prolapsu nos certiores reddere poterit, eo magis, si vagina sola prodiit, & præter hanc alius sacculus deprehenditur, qui post emissam urinam multum decrescit, postea vero sensim atque sensim mole sua augetur. Quod si vero matrix ipsa elapsa est, hæc omne spatium occupat, & vesicam loco quoque motam adeo comprimit, ut res dijudicatu admodum difficilis sit. Calculi in ea si hospitantur, quos RUYSCHIIUS (i) exhibet, hi tactu explorati omnem fere scrupulum animo in-

(e) Garengot loc. cit. Cap. 5. (f) Hist. Acad. Reg. Scient. Paris. Ann. 1713. pag. 115. (g) ibid. Ann. 1717. pag. 19. (h) Thes. VIII. pag. 53. & 58. (i) Obs. cit.

indaganti eximunt; idem insuper urinæ stillicidium post operationem institutam aliquandiu durans confirmat. Neque hoc prætermittendum, quod dolor, qui alias in solo uteri prolapsu, præsertim si malum recens fuerit, vix notabilis percipitur, in malo hoc complicato satis exquisitus sit, vesica, quæ una procidit & membrana nervea gaudet, multum compressa, aut dilatata sensum hunc molestum inferente. Inde factum, ut gravida illa, cujus supra Obs II. meminimus, quotiescunque lotium reddere annisa est, non leves cruciatus experta sit, qui intolerabiles fere fuerunt in vetula octogenaria, quam FRID. RUYSCHIUS in scenam produxit, ita ut falsa illa fuerit, se decies emori malle, quam eos diutius perpeti, quos ipsos vero calculis magna ex parte deberi aliorum hoc malo divexatorum confessione confirmatur. Ad hæc signa porro pertinet illud, quod mingendi difficultas in his subjectis tanta non sit, quanta in aliis esse solet, nisi illo in casu, in quo cervix vesicæ aut urethra quam maxime comprimitur; quod si enim in fundum vim suam exerit corpus comprimens, parum urinæ collectum reddere mox coguntur, uti idem in gravidis haud raro observatur.

THES. XXX.

Priusquam ad affectus nostri curam pedem promoveamus, quædam de prognosi adnotanda veniunt, quæ pro ægri ætate, aut mali natura atque constitutione differt. Et quidem, si ex mente sæpius allegati MERY à vitio primæ conformationis malum dependet, præsagium non adeo bonum formandum, & morbus incurabilis omni jure dicendus est; uti enim pleraque vitia in utero contracta medelam aspernantur, ita de hoc non minus idem judicium ferendum est. Vesicæ quippe figura, quæ prorsus extraordinaria est, non facile in naturalem ab arte reducitur & reducta etiam varia incommoda malo graviora & per totam vitam sustinenda post se trahit. Cui accedit, quod a nativitate cum annulis vel scroto adeo firmiter coaluerit, ut sine dilaceratione harum partium vel etiam illius inde separari nequeat; quare præstat manū, nempe

chirurg-

chirurgicam à tabula, seu, ut rectius dicam ab hoc ramice remove-
 vere. Quia vero supra §. 23. probatum ivimus, eundem
 adventitiis sæpius causis diversimode agentibus deberi, circa
 hujus prognosin occupati quam maxime erimus. De qua no-
 tandum, herniam vesicæ in inguine factam, si recens fuerit
 & incompleta, ita ut minore sui portione protuberet, reponi
 perita manu æque ac intestina posse, neque illam, quæ paulo
 magis inveterata est ex intempestivo ægri pudore, quo ma-
 lum diu celavit, vel chirurgi ignorantia aut negligentia omni
 curationis spe destitui, si modo manus auxiliatrices quanto-
 cyus adhibeantur. Quod si vero cum annulo aut scroto, aut
 testiculo cohæret, aut etiam à quacunque causa id factum fue-
 rit, inflammatio & strangulatio accesserit, nihil remedii super-
 est, quam ut operatio chirurgica sine mora suscipiatur, quam
 ancipitis eventus esse, ægrumque in vitæ discrimen conjicere
 experientia haud raro evincit. Completa, nempe cystide
 ad scrotum in viris, in foeminis vero ad muliebria usque
 descendente, enterocele aut epiplocele natales præ-
 bere solet, eo, quod laminam peritonæi internam simul
 deorsum rapit, in quam, quia infundibuli figuram induit,
 omentum, frequentius intestinorum aliquod delabitur,
 quæ nisu atque pressione sua annulos magis dilatant, tu-
 morisque molem augent & strangulationem inflamma-
 tionemque citius & certius inducunt, adeoque malum
 gravissimum & complicatum reddunt. Præterea vesi-
 ca ita prolapsa alias etiam partes, cum quibus connexa
 est, loco & sede sua movet, nempe intestinum rectum,
 de quo casum in E. N. C. (k) adnotatum legimus, vaginam
 item uterinam aliasque, quas sicco pede hic transimus. In
 infantibus, uti omnibus herniis, ita & huic majori cum suc-
 cessu opem ferre in artis potestate est. In senibus è contra-
 rio plus periculi alit & difficilior reponitur, idque plures ob

G

ra-

(k) Dec. II. Ann. V. Obs. 71.

rationes, quarum non ultima est musculi obliqui externi aponeurosis in hac ætate firmior atque ficcior reddita. Quod jam herniam cum uteri prolapsu conjunctam attinet, illa matrice in situm naturalem reposita, inque eodem detenta uno eodemque labore restituitur; idem de vagina ejus foras prorumpente sentiendum est. Si denique calculi aliaque corpora heterogenea præter uterum non parum eo contulerunt, iis dextra manu & sectione exemptis hic morbus situs vel sponte curatur, vel facili postea negotio & arte restituitur.

THES. XXXI.

Quod jam ultimo loco curam herniæ cysticæ attinet, circa quam morbo è supra memoratis signis cognito ars vel Medica vel Chirurgica maxime occupata esse debet, primo tenendum est, quod, uti modo in prognosi annotavimus, si malum vitio conformationis in utero jam contracto debetur, in artis potestate non sit, medelam aliquam afferre, quia illo in casu vesica urinaria non modo cum annulis, sed & scroto atque testiculi tunicis firmitus coaluit, quam ut ab illis perita etiam manu separari queat, aut si vel maxime id tentare allaboret Medico-Chirurgus rerum suarum maxime gnarus, utique laborem irritum suscipiet, quia ejusmodi figura & situs vesicæ, ut ut in se spectatus contra ordinarias naturæ leges sit, in ejusmodi tamen subjectis, in quibus à nativitate ita se habet, non sine omni ratione naturalis seu rectius congenitus æstimandus est. Præterea si etiam artis magistro licet esse adeo felici, ut vesicam ita constitutam reponat, & repositam in situ conservet, non sine fundamento conjicere licet, gravissima inde symptomata subsequutura esse, nullis remediis mitiganda aut profliganda, imo & funestum metuendum esse eventum. Proinde cum sæpius allegato MERY hunc affectum incurabilem pronunciamus, satius esse putantes, in hoc

hoc rerum statu nihil tentare, quam felicem curam magno, sed irrito hiatu polliceri, eoque ipso & ægri vitæ & propriæ famæ male consulere. Quod si vero, uti nobis persuasum est, sæpius allegata hernia postea demum à causis adventitiis, iisque variis prognata fuit, non omnis felicioris curæ spes decollat. In qua tradenda omnes circumstantiās & cautelas exponere eo minus necessarium ducimus, quo magis in aprico est, plurimas ab istis, quæ in bubonocèle inculcari & attendi solent, atque in plerisque monumentis Medico-Chirurgicis obviæ sunt, parum aut nihil discrepare; sed id potissimum agemus, ut quædam momenta nostro affectui propria, aut etiam non cuivis cognita enarremus atque exponamus. Cardinem rei in taxi verti, seu, ut clarius loquamur, in eo, ut viscus è sede prolapsum scite atque dextre reponatur, & repositum suo in loco conservetur, nemo ignorat. Ad hoc facilius præstandū suadent, ut impedimenta prius removeantur, quorum hic præcipuū est humor excrementitiis in renibus sequestratus & continuo in vesicam depluens. Hic si accumulatus est pressione tumoris & scroti elevatione manu chirurgi vel etiam ægri facta evacuetur, aut, si hoc fieri nequit, instrumento, quod catheterem vocant, blanda manu immisso, & quod supra inculcavimus, non multum ultro citroque agitato, quo ipso, uti vesicæ in alvum reductio non parum promovetur, ita non prorsus inutile esse censemus, intestinum rectum injecto clystere è sordibus suis pariter liberare, uti in enterocèle fieri solet. Circa situm, in quem æger componi debet, annotamus, supinum capite retrorsum inclinato minus commodum videri, utpote quo muscoli abdominis tenduntur, eorumque annuli magis ad se invicem accedunt, præprimis ille muscoli obliqui interni ab externo multum clauditur; uti idem in omni infimi ventris dilatatione contingit. Quo facto longe abest, ut hac compressione reductio juvetur, quin potius difficilior reddatur. Quam ob rem satius esse credi-

mus, methodum sequi, quam sæpius laudatus & non satis laudandus WINSLOUS in prælectionibus chirurgicis in Horto Regio Parisiensi institutis tradidit, sequi, qua ægrum in utrumque genu & cubitum procumbere jubet, capite versus terram propendente, quo in situ musculi & annuli relaxati partibus intromittendis aditum facilius concedunt.

THES. XXXII.

Postquam ægri æque ac Chirurgi voto successus respondit, bracherium subjecto & prolapsus naturæ accommodatum parti affectæ applicetur, quo in junioribus diu gestato, junctis, si opus est, remediis appropriatis, præprimis si malum recens fuerit, annulus interdum constringitur, & æger à malo hoc satis molesto immunis postea vivit. Sed hic probe cavendum est, ne aliqua vesicæ parte adhuc protuberante subligaculum illud adhibeatur, illaque magis minusve comprimatur, utpote à quo dolor non levis, aliqualis urinæ supressio aliaque symptomata graviora certo certius insequentur; quod auxilium utut palliativum sit, nihilominus idoneum est, recidivam amolliendi aut etiam ulteriorem progressum avertendi. Quod si vero vel inveteratus mali status, vel vesicæ cum partibus supra memoratis adhæsiō, vel inflammatio, vel alia symptomata, quæ præsto sunt, ejusmodi tentamen inutile prorsus reddunt, alia enchiresi res suscipienda est, nihil aliud remediū tunc superest, quam ut ad operationem sine mora confugiatur, quæ quia anceps est & dubii eventus, adstantibus periculum, in quo æger versatur, exponendum. Non vero multis explicabimus, quæ vel ante operationem vel in eadem vel etiam post eam sollicitè observanda sunt; scilicet ut ægri corpus convenientibus remediis præparetur, & si repositionis conamen ex voto non successit clysteribus, fotibus, inunctionibus atque balneis partes eo disponantur, ut si corruptio earum è livore cutis cognoscenda jam præsto est, operatio

tio non suscipiatur, non minus qua ratione illa instituenda sit, & quae methodus præ aliis eligenda ponderet. Ut porro in administratione reductio non è directo sed versus ossa ilei tentetur, annulorum decursum probe attendendo, simul etiam considerando, anulum obliqui externi huic actioni quam maxime obicem ponere, nec non illam portionem, quæ ultimo elapsa fuerat, primum immittendo. Non minus in inveterata, si pars prolapsa cum testiculo aut scroto coaluit, levi manuum opera inde separetur, potior vero vesicae, quam illorum ratio habeatur, quo illa integra maneat atque illæsa, aut si divulsio fieri nequit, ad suppurationem usque relinquatur; ut etiam si dilatandus annulus est, scalpello recurvo theca munito (bistouri caché) aut cathetere fulcato lamella utrinque instructo utatur Chirurgus, ad læsionem vesicæ protuberantis præcavendam; ut etiam arteria epigastrica sollicitè evitetur. Neque prolixi erimus monere, ut post operationem apparatus idem ac eodem modo, uti in bubonocèle applicetur, accidentibus quovis modo obviam eatur, præprimis feбри atque convulsionibus; annulus item quantum in arte positum est, consolidetur, aut, si hoc obtineri nequit, ad recidivam præoccupandam brachierium, quod annulos probe comprimat, per aliquod tempus gestetur. Et quæ sunt alia, quæ pagina hæc non capit, atque à bubonocèles enchirēsis haud discrepant.

THES. XXXIII.

In aliquibus vero, quæ haud exigui momenti sunt, non parum differt, quorum primum est, quod cystis urinaria, non uti intestinum aut omentum peculiari sacco extraordinario atq; à lamella peritonæi interna formato involuta sit, sed solum aliqua ejus portio eidem superimposita, quod ideo probe notandum esse consensimus, ne Operator ejus defectum animadvertens aliquid insoliti subesse existimet, aut de ejus existentia persuasus, loco illius alias partes, sed infeli-

lici conamine incidat. Qua occasione monemus, nos ea, quæ modo de sacco peritonæi diximus, de extraordinario intellecta velle. Nam quod productionem lamellæ externæ vasa spermatica comitantis & in statu hoc p. n. mole ut plurimum auctæ spectat, illa pariter ac in alia bubonocèle occurrit; est ergo hic nonnisi unicus & simplex, qui in reliquis duplex cernitur. Quo supposito Petiti enchiresis, qua saccum internum non incidit, sed integrum una cum partibus prolapsis in alvum reponit, nullum hic locum invenit. Secundo quod liquor serosus, qui in operatione bubonocèles effluere alias solet, hic quoque non reperiatur; quod ipsum conceptu facile cuivis est, qui in memoriam sibi revocat, quod modo dictum à nobis est, nempe saccum peritonæi hic deesse, in quo serositates ex abdominis cavo depluentes hospitantur, nisi quod si forte saccus superior inciditur non minus aliquid feri effluere conspiciatur. Idem contingit, si instrumentum ulterius, quam par erat, adactum vesicam lædit, quo factò, lotium, si quod adest, à dicta serositate diversum profluit. Flatus in intestino strangulato à fœcibus incarcerati repositionem enterocèles haud raro retardant, quandoque etiam omnino eludunt, quod hic ab urina non aequè expectandum est, & quidem eam ob causam, quia illa tanquam corpus fluidum in inferiorem vesicæ partem facilius propellitur atque portio prolapsa hoc modo depletur, excepto illo casu, in quo annuli medium vesicæ adeo compri-munt, ut viam ei & transitum præcludant; insuper quia cystis urinaria in infimi ventris cavitate non ita libere fluctuat ac intestina, repositione rite peracta ægrum non ita facile recidivæ obnoxium esse judicamus. Circa diætam observandum, ut aeger postmodum à potus ingurgitatione & diureticorum usu sibi quam maxime caveat, ob metum novæ dilatationis vesicæ & mali inde repullulan-
tis

tis , ut & mictum non diutius retineat , sed quam primum accedente stimulo admonetur, illius excretionem promoveat,

THES. XXXIV.

Et haec de cura prolapsus per inguinum alterutrum dicta sufficiant, quibus verbo subjungimus illam, quae in altera specie annotanda venit, scilicet si vesica una cum utero aut ejus vagina in sinum pudoris descendit, specialis ei cura vix debetur , valet quippe hic illud , quod Medici semper in ore habent : Morbo primario curato, secundarium, seu qui ab illo natales duxit , sponte cedere , aut saltem levi postea negotio profligari. Omnem ergo operam in eo collocet Medico-Chirurgus, ut dextro manuum ministerio matricem ejusque vaginam debitum in situm reponat, atque in eo, quantum possibile est, retineat, quem finem, si assequutus fuerit, vesicam simul in locum ordinarium restitutam credat. Quod si vero illa ipsa calculos in sinu suo foveat, consilium ex arena capiat, & illud praesidii genus, quod RUYSCHIUS adhibuit, pariter amplectatur, atq; lithotomia apparatu hactenus inusitato instituta eos eximat, ne gravitate sua repositioni obicem ponant , quae utut felici cum successu facta perhibeatur, nostro judicio non levi difficultate premitur, quia si uterus simul laborat, ille operatori locum & spatium vix concedit, si vagina, illa simul ob rugositatem quam prae se fert, non sine periculo inciditur. Quamobrem si hae circumstantiae illam fieri non permittunt, eadem nonnisi utero aut vagina in situm repositis & quidem methodo ordinaria instituatur. Quod si denique inversio colli eventu rarissimo cuidam in praxi occurrat, quia ejus observatio CORN. SOLINGEN propria &, quantum novimus, specialis est , optime faciet , ut eo modo incedat , quo ipse usus est, qui in eo consistit, ut fotu conveniente praemisso ope specilli corio molliore atque spongia muniti, nec
non

non liquore adstringente imbuti collum pristinum in locum restituere & subligaculo commodo in situ illo detinere allaboret. Et haec sunt ea, quae de nostro affectu in medium proferre è re esse duximus. Plura quidem, fatemur, de hoc argumento, si è re visum esset, maxime circa curam adduci potuissent, verum ne nimium excrescat hic labor, vela contrahimus, DEO TER. OPT. MAX. pro concessis hactenus viribus devotas & humillimas gratias persolventes. B. L. enixe rogatum cupimus, velit qualemcunque hunc ingenii foetum benignis oculis excipere, atque si plures in eo naevos deprehenderit, sibi in memoriam revocare, tyronem plurima subterfugere. Eos vero, qui in more habent, omnia Theonino dente rodere parum curamus.

F I N I S.



Das Fleiß und Wiß bey Dir weit
über Jahre war/
Davon legt Deine Schrift ein kla-
res Zeugnuß dar.

Da Du den Blasen-Bruch so künstlich
lehrst curiren.

Bist Du dann fernerhin so fleißig im
studiren/

So wird Dein Vaterland Dich
bald als DOCTOR sehn/

Und Dir ein Schönes Kind an
Deiner Seite stehn.

J. B. M. C. Opp.

Da Er/mein Berther Freund/an-
heute disputirt
Und ein so hohes Werck vortrefflich
ausgeführt/

So gratulir ich Ihm ob seines Fleisses
Proben

Die nie/wie Er verdient/genugsam sind
zu loben.

Er fahre ferner fort/ wie es bisher
geschehn/

So wird sein Nahm und Ruhm als
wie die Cedern stehn/

Er wolle ferner mir/wie sonst/ geneigt
verbleiben

So kan ich künfftighin ein Doctors-Car-
men schreiben.

J. G. M. C. Opp.

Accino mille Tibi, DIVOUX Charissi-
me, plaufus !

Qui cecinisti etiam mellea vota mihi
In casu simili; nempe in discrimine nostrum,
Cum nunc magnanimus pulpita Tu re-
petis.

Ingenii tua vis jam dudum est undiq; nota,
Quæ laribus Patriæ tempore conveniet.

Hoc exercitio, precor, undique digna repor-
tes

Præmia, pro Studiis Ingenioque bonis.

Doctissimo atque Præcellenti Domino Respondenti,
Amico suo jucundissimo cum pio omnigenæ feli-
citatæ voto hos versus debuit,

Joh. Christianus Ehrmann,
Med. Cult. Oppon.

SS Er so/wie Du bißher/mit rechtẽ
Fleiß studirt/

Der kan/wenn Ungelück ihn trifft/recht
herklich lachen/

Weil ihn Gelehrsamkeit und wahres
Wissen ziert/

Die er weit höher hält als alle and're
Sachen.

Drum fahre ferner fort und spahre
keinen Fleiß/

Dich der gelehrten Welt und Vater-
land zu zeigen/

So wird Dein Namens Ruhm biß zu
den Sternen steigen/

Und Du bekommst dereinst den wohl-
verdienten Preis.

Mit diesem wenigen wolte dem Wohl-Edlen und
Wohlgelehrten Herrn Respondenten seine er-
gebenste Schuldigkeit bezeugen

Desselben Dienstwilliger

Matthias Hägl/

Ratisb. Med. Cult.

Du hast Dich sehr bemüht/ uns heu-
te darzulegen/

Daß/ was nicht ordentlich/ in Ord-
nung kommen soll.

Drum bitt ich/ lasse Dir ja nicht Ver-
druß erregen/

Daß meine Reimen sind versekter
Worte voll.

Denn da ich sie nicht weiß in Ordnung
herzuschreiben/

So stelle solche Du in bessere Ord-
nung hin;

Dann werd ich jederzeit den Versen
einverleiben/

Daß Du mein Werther Freund und
ich Dein Diener bin.

J. G. Saltzman, M. St. Opp.